DISSERTATIO
DE
GENERATIONE PURIS.

DISSERTATIO
DE GENERATIONE PURIS

Præmio ab Academia Regia Chirurgica Pariſienſi Anno 1746. propoſito condecorata

A U C T O R E

JOANNE GRASHUIS

Med. Doctore, Academiæ Cæſareæ, Naturæ Curioſorum, Regiæ Chirurgiæ Pariſienſis, & Societatis Scientiarum Harlemenſis Socio

EDITIO NOVA PRIORI AUCTIOR.

ACCEDIT

MORBI NON SATIS DESCRIPTI HACTENUS

BREVIS DELINEATIO

EODEM AUCTORE

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

NEAPOLI MDCCLXXXIII.

Typis JOSEPH MARIÆ PORCELLI

Superiorum Permiſſu.

Laus alit artes.

Tragic. apud SENEC.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

CUm in Generatione Puris *intentus nuperrime*, *abſconditam* Suppurationis *actionem* (*quod ſperavi poſſe fieri*) *quantum in me erat, illuſtrare conabar*; *in manus incidit Programma ab illuſtri Academia Regia Chirurgica, quæ floret* Pariſiis, *communicatum*; *quo quivis, vel inter Exteros, ad commentandum argumentum quadripartitum*, De Suppuratoriis, Eorumque Actione, In Claſſes Diviſione, Præparatione, & Uſu in Morbis externis, *præmio propoſito invitabatur*. *Mutavi itaque conſilium*; *& quæ in determinatum uſum corraſeram, ad Quæſtiones ab Academia præpoſitas, direxi penitus totidemque in Capita diviſi*; *ſingulis ad ſingulas quantumcumque poſſem, reſponſurus*; *unde nata eſt hæc, qualis nunc eſt, Diſſertatio*. *Quam, quia peritiſſimorum in arte Chirurgica judicum ſuffragio victoriam reportavit, præmioque condecorata fuit,*

in publicum edere, uti mos eſt, non detractavi. Ea itaque induta forma, & verborum tenuitate, qua ad Academiam miſſa, talis, qualis erat, prodit. Sic enim eam in lucem edere decrevi, ne deinceps majori labore perpolita, a ſe ipſa diverſa videretur Exercitatio; exceptis tantum paucis quibuſdam annotationibus, etiam huic novæ editioni denuo additis, in margine, a Textu facile diſtinguendis.

DIS-

DISSERTATIO
DE GENERATIONE PURIS.

CAPUT PRIMUM.

De Suppuratione, & pus moventibus generatim.

Puris definitio.

TEnax, & ſubpingue liquidum; cum aqua miſcibile, in eaque fundum petens; in vivi animalis parte, morbo affecta, productum; Pus, vocatur: idque coctum, & laudabile; ſi ſubalbidum ſit, odorem ſaporemque habeat nullum. Sin vero & colore, & odore, vel & ſapore ab his diverſo, præditum ſit, minus laudabile ſeu depravatum audit.

Definitio: Suppurationis, & Suppuratorii.

Actio Corporis, qua talis materia, *Pus dicta*, antea non exiſtens, in parte ſingulari, communibus tecta integumentis, producitur, Suppuratio; medicamentum quodcumque, hanc actionem inducens, ſeu adjuvans, Pus movens, *pus concoquens*, *Suppuratorium*, *ſuppurans*, vel *Maturans* dicitur.

Circumſcriptio Digeſtionis.

Puris in ulcere quotidie repetita generatio, Digestio Chirurgis potius, quam *Suppuratio*; & medicamenta hanc adjuvantia Digestiva appellantur.

Actio ſuppurationis *prius contemplanda, quam de ſuppuratoriis agi poteſt.*

Pus moventium proprietates, eorumque ope-

operationes explicari difficile poterunt, niſi ipſa prius actio, quam *ſuppurationem* dicimus, explicata fuerit, & quantum fieri poſſit, dilucide expoſita. Ipſa etenim naturæ molimina, bene perſpecta, caſte nos docebunt, quibus auxiliis incitari, vel adjuvari poſſit.

Suppuratio *eſt actio corporis ſpontanea.*

Suppuratio, ſeu partium quarundam, ſive liquidarum, ſive ſolidarum, *Pus* non exiſtentium, in *Pus* mutatio, eſt actio corporis viventis ſpontanea, ſpeciali quadam cauſa excitata, nullis artis adminiculis, vel non niſi imperfecte admodum imitanda.

Demonſtratio.

In corpore humano ejuſmodi Actio nullo modo excitari poteſt; niſi talis prius adfuerit diſpoſitio, quæ morbum in corpore præſentem, ad *Suppurationem* aptum, in eam inclinare faciat. Neque vel peritiſſimus unquam Chemicus, arte ſua, ex humoribus noſtri corporis *Pus* producere potuit. Neglecta omni medela, *Pus* ſua ſponte efformatum ſæpe videmus, in parte antea inflammata: imo reluctante arte, omnibus probatiſſimis auxiliis, ſæpe perficitur. Quin & vel efficaciſſimis, e contra, Medicamentis Maturantibus, ſeu *Pus* facientibus, nulla fit *puris* confectio. Videmus enim quotidie, ultra ſpem, intentionemque prudentiſsimorum Medicorum, & Chirurgorum, ingentes inflammationes, benigna reſolutione ſanari, ubi *Suppuratio* diu fuerat expectata, & omni conatu promota; inflammatas e contra partes in *Suppurationem* abire, licet optima quævis, & ſelectiſsima re-

reſolventia, & diſcutientia, mature ſatis & diu fuerint applicita. Inflammationem, cujus conſequens eſt aliquando *Suppuratio*, excitare aliquo modo poſſumus, hanc vero immediate producere, neutiquam valemus.

Sunt autem quædam circumſtantiæ, vel ſymptomata, ſenſibus obſervanda, quæ actionem hanc ſemper comitantur & quibus præſentibus *Suppurationis* opus feliciter abſolvitur: abſentibus vero, vel pro parte deficientibus ſiſtitur, vel imperfecte perficitur. Quare hæc, ceu totidem neceſſaria, ad hanc rem requiſita; ſive efficientes, vel ſubſidiariæ cauſæ, haud immerito cenſendæ mihi videntur; quarum attenta conſideratio, quia ad Suppurantium intellectum, multum proficere poterit, omnibus aliis præmittenda erit. Præcipuæ autem harum ſequentes ſunt. *Suppurationis certa quædam ſunt requiſita.*

I. Nulla fit generatio *Puris*, niſi in parte, in qua motus vitalis ſuperſtes eſt. In cadavere omnia in putredinem, nihil in *Pus* abit. In parte quadam ſi motus vitalis ſuffocatus fuerit, Gangræna oritur, nulla *Suppuratio*. In magnis contuſionibus, quia multæ partes vita privatæ ſunt, *Suppuratio* difficile obtinetur. In ambuſtis, gelu extinctis partibus, & eſcharis cauſtico factis, tarda fit *Suppuratio*, nec niſi in partibus vicinis, vitali motu præditis contingit. *Generatio Puris ſemper fit in parte vivente.*

Requiritur itaque *motus vitalis, in parte ſuperſtes, ad Pus concoquendum.*

II. In

Nunquam in parte ſana. II. In parte ſana corporis ſani nulla fit *Suppuratio*: nunquam enim obſervatur, partem antea ſanam, ſtatim ſuppuratam fieri. Multa præcedunt, vel parti, in qua *Pus* oriundum eſt, vel toti corpori moleſta, antequam *Pus* factum fuerit. Verum quidem eſt aliquando per Metaſthaſin, ut vocant, *Pus* ad aliquem corporis locum deponi; & cum dolore invadente, ſimul *Pus* intus concluſum perſentiri: ſed prius quam illud *pus* in corpore fuerit productum, ſtatum morboſum anteceſsiſſe palam eſt.

Ergo *morbus quidam præcedat oportet*, *ut Suppuratio* tanquam critica morbi mutatio, & finis *ſequatur*.

Semper inflammatio antecedit. III. Nulla fit *Suppuratio*, niſi inflammatione antegreſſa. Calor, dolor, rubor, tenſio, pulſatio, & febris, inflammationis ſigna pathognomica, diu percepti, Abſceſſus purulentos, poſt natam antea Inflammationem demum prodire, clare ſignificant; ſi externa pars affecta fuerit. In Vulneribus magnis præcipue eadem inflammationis phænomena, *Pus* fieri prænunciant. In iiſdem deinceps *Pus* fundi quotidie, ſine obſervabili Inflammationis, vel Febris ſigno. De prima autem *Puris* confectione nunc ſermo eſt juxta *Suppurationis* definitionem datam. Si ante ſanatum Vulnus, Digeſtio quacumque cauſa fuerit impedita, & *Pus* defecerit; ſemper de novo inflammatiunculam exoriri, ante reſtitutionem *Puris* quotidie obſervamus. Imo multis creditur, Inflammationem cum exortu *Puris* ubi-

bicumque contingerit, ſemper conjunctam eſſe. Et ſi ulla unquam arte *Pus* produci poſsit, id fieri debet, excitata prius Inflammatione.

Suppuratio itaque *eſt conſequens vel exitus Inflammationis*: poſterior neceſſario requiritur, ut fiat prior.

IV. Non omnem Inflammationem *Suppuratio* ſequitur. Si Inflammatio non ſit acuta; neque calor in parte valde magnus; Reſolutio fit, nulla *Suppuratio*. Si acutiſsima fuerit Inflammatio, *Suppuratio* quoque nulla; ſed Gangrena vel Sphacelus ſequitur. Vulneri recenti, ſi vehementiſsima ſuperveniat Inflammatio, *Suppuratio* vel Digeſtio nulla oritur. Nimius in parte ulcerata calor ulcus ſiccum reddit, aut ſanguinolenta materia madere facit non laudabili *Pure*. In glanduloſis tumoribus, humore crudo infarctis, Scrophulis vulgo dictis, prius non contingit *Suppuratio*, quam calor excitatus fuerit, tantus, quantus ad materiam, intus contentam, vel in partibus vicinis infarctam, in *Pus* concoquendum neceſſe eſt. *Et determinato gradu.*

Requiritur ergo *calor in parte*, in qua *Pus* concoqui debet, ſeu *Inflammatio ad certum quendam, & determinatum gradum evecta*; quem ſi excedat, vel non attingat, *Suppuratio* vel non, vel imperfecte perficitur.

V. Nulla fit *Suppuratio*, niſi in parte, ab aëre externo defenſa, & tecta. Pars inflammata, nullis tecta involucris, nullis medicamentis contra aëris acceſſum præmunita, vel difficile; *Aëris liber acceſſus, ſuppurationi obeſt.*

ficile, vel tarde ad maturitatem pervenit. Si in ipſa *Suppurationis* actione, poſt inflammationem ortæ, cutis in parte affecta, cultello Chirurgico præmature nimis aperiatur, maturatio *Puris* impeditur, actiones, quibus generari debet, quaſi ſuffocantur: ut experientia Chirurgos quotidie docet. In Vulnere nullum *Pus* producitur, niſi cruſta quadam, ex congrumato ſanguine formata, vel emplaſtro appropriato, ſive commoda faſciarum deligatione, per aliquod tempus fuerit tectum. Idem in Ulceribus perpetuo obſervatur.

Liquet exin, *Aëris externi liberum acceſſum* ad partes, in quibus *Pus* efformari debet, *Suppurationi eſſe inimicum*.

Intumeſcendi libertas neceſſaria eſt.

VI. In partibus, in quibus intumeſcentia, & expanſio in tumorem, non eſt facilis, difficulter fit *Suppuratio*. In articulis, ad loca tendinoſa, digitorum apices, ſub tendinoſa expanſione plantæ pedis, & quibuſcumque aliis in locis, ubi vel tenſio, vel rigiditas liberam expanſionem impedit; difficile admodum *Suppuratio* procedit. Idem verum eſt, quando partes affectæ nimium quantum ligaturis fuerint conſtrictæ, vel alio quovis modo compreſſæ. Tunc enim imperfecta admodum fit *Suppuratio* vel Gangræna ſequitur.

Partes in Suppurationem inclinantes intumeſcendi libertate indigere videmus.

Suppurationis ſigna.

Ipſam *Suppurationis* actionem abſolutam eſſe, certis quibuſdam novimus phænomenis. Inflamma-

mation e per aliquod tempus protracta, & ſymptomatibus continuo auctis; ſi æger tandem minus febrire, minus dolere, pars minus tendi incipiat, & mollior fieri, inflammationem ad maturitatem accedere, *Pus* fieri, vel factum eſſe ſcimus. Fluctuationem adeſſe dicunt Chirurgi; & tumor inflammatorius antea, abſceſſus nomine nunc inſignitur.

Quid vero hacce contingente mutatione, intus fiat, difficile explicatu eſt. Clanculum omnia peraguntur; quare mirum non eſt, Actionem hanc, non eſſe penitus perſpectam. Attenta phænomenorum contemplatione, aliquid forte lucis, huic rei adferri poterit. Suppurationis *actio explicata*.

Inflammatio, & quæ eam comitantur ſymptomata, docent; vaſa, in parte inflammata, præter naturam eſſe repleta, & diſtenta; non in Cute ſolum, ſed & ſubjacentibus quoque partibus, ut ſunt Membrana Celluloſa, & Muſculi (1). Pars humorum inſarcientium (2) tranſit, vel retrogreditur (3); alia vero pars, vaſis quamplurimis obſtructis ſtagnat, & retinetur.

Mo-

(1) *Si concedamus, quod a quibusdam obſervatum eſt, ſanguinem in inflammatione per poros laterum vaſorum transudare; ipſa cellulosa, vaſis propinqua, eaque circumambiens, replebitur.* Hall. *Elem. Physiolog. Tom. I. pag.* 37. 38. 40. 116.

(2) *Vel per tunicarum poros effuſa.*

(3) *Reſorbetur forte etiam & alia per vaſa lymphatica in cellulas adipoſas hiantia.* Monro *jun. de ven. lymphat. valvulos. Comment. de rebus in Sc. nat. & Medicina gest. vol. VII. pag.* 339. Mekel. *Diſſertat. Epiſtol. ibid. pag.* 336. J. Morgan *de Pucopojeſi pag.* 35.

Motu, & calore Inflammationis tali cum vehementia, & longitudine ſævientibus, ut liberatio partis, Reſolutione benigna fiat impoſſibilis; Gangræna non ſuperveniente; *Puris* concoctio, & cavi, in quod recipitur, confectio ſequitur. Membrana nempe celluloſa, per quam plurima vaſa habet, materiem ſecernendæ pinguedini dicatam, adferentia, & revehentia, præ omnibus aliis partibus valde infarcitur. Hæc ad extenſionem facilis, intumeſcit, uſque dum, ut ſua natura leviſſima cauſa fragilis, ulteriori extenſioni reſiſtere non valens; leviſſimo præterea putredinis principio, in corruptionem prona, variis in locis, ubi maxime tenera eſt, rumpatur. Quo facto, in ipſa hac Celluloſa cavum efformatur, in quod effunditur, calore inflammatorio ſemiliquata, & pro parte corrupta Pinguedo, clauſtris fractis, non amplius coercita. Adfunditur huic materies ex vaſis ruptis per Celluloſam decurrentibus, & Celluloſæ propriis, præcipue cruda dicenda Pinguedo, vel humor, efficiundæ Pinguedini deſtinatus, *in Pus* transformandus. Forte multum etiam Pinguedinis, calore partis liquatæ, & reſorptæ, per vaſa ſanguifera vel pinguifera, ad partem laceram denuo appellentis, in eandem cavitatem deponitur, & retinetur. Quin & ruptura in Celluloſa facta, tenſio partium, antea mediante hac membrana connexarum, nunc ſolutarum, minuitur; multa infarcta Vaſa ſanguifera, compreſsione coarctata, liberantur; ſanguis per ea

it,

it, reditque facilius; motus, & calor, hiſce de cauſis minuuntur; inflammatio ceſſat; febris decreſcit; pars minus rubet, & mollis fit. Et hac ratione Inflammatio in Abſceſſum terminari videtur. Si Membrana Celluloſa magis magiſque exteriora verſus diſrumpatur; fluctuatio materiæ intus contentæ, digitis tangentibus facile percipitur. Et quia vaſa, per Membranam adipoſam diſtributa, & Cuti deſtinata, ſimul pereunt; defectu Vaſorum nutrientium moritur cutis, & congeſtione *Puris* foras, ubi minima datur reſiſtentia, elevatur, & tandem quoque rumpitur: vel, hoc non ſatis cito contingente, Lanceola Chirurgica facillime diſcinditur. Sic *Puri* peregrino nunc, & noxio corpori, intus latenti, ad liberandam partem, exitus concilia-tur.

Pus ipſum, quod actione, modo explicata producitur, miſcela videtur ex variis partibus heterogeneis, ſolidis paucis, majori copia liquidis, in unum homogeneum liquidum mutatis. Ex quibus autem, vel quanam materia primario oriatur, difficile dicitur. Quando ad partem colligentem, & conſervantem attendamus; ſimul, & *Puris* proprietates intueamur ſedulo: illud ex hac ejuſque contentis (4) originem trahere, aliqua, ut videtur, naſcitur veriſimilitudo. *Puris origo ex Pinguedine deducitur.*

Pars

(4) *Maxima ſaltem parte.*

Demonſtratio. Membrana Celluloſa fovet & concoquit.

Pars conſervans, & colligens, fovens, & concoquens, Membrana Celluloſa eſt. Hæc etenim cavum format, modo, jamjam explicato, & puri concoquendo commodum locum ſuppeditat: Id præter ea, quæ dicta ſunt, ſequentia confirmant argumenta, ab experientia deſumpta; nemini, niſi in arte noſtra hoſpiti ignota.

Quævis Puris collectiones in ea contigunt

Quæcunque *Puris* collectiones in corpore oriantur; in Membrana celluloſa ſemper obſervantur; in interna viſcerum ſubſtantia, æque ac externa corporis ſuperficie, & inter Muſculos præſente. Quæcunque eveniant purulentæ materiæ Metaſthaſes, Membrana Celluloſa ubique *Puris* ſedes eligitur. Quicunque Abſceſſus longe, lateque, & profunde pererrantes, ſemper per Membranam Celluloſam divagantur, & licet variis in locis eruptiones contingerint, hæ ſi cum invicem communicent, id ſolius Membranæ Celluloſæ ope fit.

Eadem cum contenta Pinguedine perit & conſumitur.

Hancce Membranam, magna copia, cum contenta Pinguedine in Abſceſsibus ſæpius conſumi, & perire, ipſa docet ocularis inſpectio; & ſæpiſsime contingens partium contiguarum, antea facile mobilium, interpoſitæ membranæ celluloſæ ope, poſt ſanatos abſceſſus, concretio, & immobilitas. Quin & pinguedinis glebas, ex Abſceſsibus apertis, ſæpiſsime prorumpere notiſsimum eſt. Omne fibroſum, vel membranoſum ex Abſceſſu exeuns, Membranæ Celluloſæ particulam eſſe, nemo dubitat: niſi quis Abſceſſus glanduloſos forte excipere velit,

ex

ex quibus integra quandoque glandula, a partibus vicinis ſoluta, & corrupta penitus, excernitur (5) (*a*).

Ad

(5) „ *Abſceſſuum vulgatiſſima ſedes in celluloſo te-* „ *xtu eſt, inquit* Hallerus, *& ſi non unica, cum ve-* „ *rum* pus *in cerebri, teſtium hepatisve carne naſca-* „ *tur, in quibus viſceribus nullus adeps oſtendi potuit* „ (*Elem. Phyſiol. Tom. I. pag.* 46). *In Ovarii autem Tumore, quem Steatoma nominavit, materiem inveniebat, Melli quidem, ſed etiam Adipi ſimilem, qua flamma admota ignem continuo recepit, & Adipis more deflagravit. Mirum ipſi videtur, qua ratione in Ovario nata ſit tanta vis Adipis, cum in ſano Ovario ne mica vera pinguedinis apparet. Conſtat adeo, inquit, ubicumque Celluloſa tela eſt, eo aliquando Pinguedinem deponi poſſe, & ſi minime vulgo ſoleat. Ita, addit Vir illuſtris* „ *in ſcroto ;* „ *in pene adipem inveni, & novi repertum fuiſſe in* „ *tenera illa celluloſa fabrica, qua choroidem oculi intereſt, & ſcleroticam* „. (*Opuſc. Pathol. p.* 106. 107.) *Quoniam vero & Cerebri, & Teſtium, & Hepatis vaſa telam Celluloſam intermixtam habeant, tenerrimam licet, quod negari non poteſt, poterit & in hæc Viſcera Adeps deponi, & ſi vulgo non ſoleat, & hic* Puri *materia ſuppeditari. Idque facilius percipitur, ſi conſideremus, circuitum Sanguinis, in parte in qua Inflammatio eſt, vel & generatim, & Secretionem in ea parte augeri, in ratione adlata materia ſecernenda. Hinc merito ſtatuere, ut mihi videtur, licet,* Puris *congeſtiones in medio dictorum Viſcerum, etiam in tela Celluloſa fieri, non minus ac aliis Corporis partibus, contentamque Adipis materiem* Puri *efformando ſuas partes contribuere.*

(a) *In majoribus glandulis, & Viſceribus* Suppuratio *plerumque tardior, & imperfectior, quam in muſcoloſis partibus. In utriſque vaſa plurima, parca Membrana Celluloſa adeſt, qua muſculoſis partibus uberior ſuperſtrata eſt, & interjacet.*

Ulterior Demonſtratio. Ad veritatem propius accedet ſtabilita jam veriſimilitudo; modo *Puris* proprietates ex proprietatibus Pinguedinis derivari quoquo modo poſsint.

Ex Materia primaria. Materies in Celluloſæ cavum primum effuſa, ex fractis cellulis, Pinguedo eſt, inflammatorio calore, & incipiente putredine a ſtatu naturali multum permutata. Huic ſtagnanti alii admiſcentur humores, ex vaſis cum Celluloſa ſimul ruptis, depluentes; cruda præ primis, & nondum cocta vel inſpiſſata Pinguedo, per dicta vaſa perpetuo adlata, in ruptas nunc Cellulas depoſita (6). Vaſa etenim ſanguifera majora, in Abſceſſu rupta esse, raro videmus; idque ſi contigerit, merus ſanguis, in *Pus* neutiquam mutatus, ſed eodem tempore cum *Pure* licet, ſeorſum tamen exit. Neque Serum, vel Lympha ex arteriolis, vel venulis propriis exſtillans, in *Pus* mutabilis videtur; quippe quæ calore tanto, ac in Inflammatione adeſt, facile in ſpiſsitudinem abeunt (7): & *Puri* ex Abſceſſu profluenti, magna copia admiſta, illud a naturali indole aberrare faciunt; dilutius vel aquoſum reddunt, vel ut heterogeneum quid, *Puri* non intime permixtum, in exitu dignoſcuntur.

Pus

(6) *Et tenuior Sanguinis pars per poros tunicarum Vasorum in Cellulosam delapsa.*

(7) *Posteriori tempore observatum est a quibusdam, serum, dum putrescit, sedimentum puri non dissimile, deponere*, Haller *Elem. Physiol. T. II. p.* 132.

Ex albedina tenacitate & pinguitudine.

Pus albicans eſt, tenax, & ſubpingue. Hiſce dotibus nulli parti, in corpore reperiundæ, æque ſimilis eſt ac Pinguedini. Pinguia ſua natura alba ſunt: & cum aquoſis, parca copia, ſenſim lenteque mixta, ea albeſcere faciunt. Humores ex vaſis ſecernentibus in cava folliculorum unctuoſorum depoſiti, crudi licet, albi ſunt. Docet id folliculoſorum Apoſtematum inciſio, relicto folliculo, in quem novum humorem lactei coloris, colligi quotidie videmus. Pinguia natura ſua tenacia ſunt. *Pus* hac proprietate ab iis non multum diſſidet. *Pus* autem Pinguedine liquidius eſſe, mirum non eſt; quoniam cruda, maxima ſaltem parte, Pinguedinis materia eſt, nec fota, ut in ſtatu naturali; neque coctione inſpiſſata, vel elaborata, in Pinguedinem; ad quam perpetuo alia (8), ſimilis cum priore naturæ adfluit.

Ex ponderoſitate.

Aqua ponderoſius eſt, in eaque fundum petit. Hac proprietate multum ab indole Pinguedinis recedit. Ipſa vero Pinguedinis materia, quamdiu cruda eſt, neque formam, neque proprietates Pinguedini proprias habet; & ſi quæ alia, magis elaborata antea, cum hac conjuncta fuerit, ea partim admiſtione prioris, partim mutatione ſpontanea, in loco calido, ad putredinem vergente, a ſe ipſa diſſidet. Varias etenim de-

(8) *Et qua reliqua extra Vaſa haret, Seri forte, vel Lympha aliqua quantitas.*

degenerationes, in Pinguedine, facili cauſa contingere, multiplici obſervatione notum eſt. In animalibus morbo affectis, Pinguedo cito, & multum a propria indole abſcedit; & in mucilaginoſam, pituitoſam, aquoſam, vel & purulentam, & multiformem aliam materiam mutatur. Qua mutatione aquæ reddi miſcibilis, vel ponderoſior fieri poteſt (*b*) (9).

Ex conſumtione Pinguedinis in ulceribus. Pinguedo in magnis, & profundis vel ſinuoſis Abſceſsibus, mirum quantum conſumitur: non autem ſub Pinguedinis, ſed Puris forma exit. *Pus* ex Ulceribus Lue Venerea infectorum ſtillans, glutinoſitate majori, vel ſorditie, a *Pure* laudabili ſolum differens; ex Pinguedine Membranæ Celluloſæ oriri, ipſa autopſia docere videtur; Pinguedinem mucilaginoſam fieri, & poſtea in ſordidum quoddam *Pus* abire evidentiſſime demonſtrans (1).

Ex

(b) *Confirmantur quæ dicta sunt Experimento facili. Maceretur Pinguedo in sufficienti quantitate aquæ ad levem putrefactionem. Secedet ad fundum vasis materies albicans, tenax, ramentosa utcunque, sed permixtione, vel conquassatione vasis sola, aqua superflua effusa, in æquabile liquidum transeuns, cum aqua miscibilis, in eaque fundum petens, omnibus fere dotibus* Puri *similis.*

(9) *Simile quid in Humoribus excrementitiis observatur, qui sani aquæ innatant, morbosi facti, subsident, ut in sputis Phtisicorum sæpe videre est.*

(1) „ *Plerumque* Pus *ipse adeps est, cui sanguis,* „ *& lympha admistu suo putredinosi nonnihil addide-* „ *runt.* „ Halleri *verba sunt.* Pus *variolosum flammam concipere vidit. Idem Elem. Physiolog. Tom. I, pag.* 45.

Ex Unctuoſis Puri *analogum conficientibus.*

Ex unctuoſa in cryptis ſeu folliculis ſecreta materie, cum aquoſa miſta, ſtagnatione, & fotu intervenientibus, *Puri* quid analogum, oriri poſſe, certo ſcimus. Ex Oculis infantum, palpebris per aliquod tempus conglutinatis, ejuſmodi materia, abſque ulla ſive *Suppurationis*, ſive Inflammationis nota, ſæpe exit. Aliis vero partibus, vel locis, in quibus humores tenuiores colliguntur, id minime familiare eſt.

Ex mutatione Pinguedinis in febribus acutis.

In acutis ſeu Inflammatoriis febribus, defectu novi Chyli reliqui humores acriores fiunt; Calor magnus partes tam ſolidas quam fluidas continuo adurit. Solvitur tunc duplici hac cauſa Pinguedo corporis, & humoribus circulantibus miſcetur; eam materiam veroſimiliter efficiens, quam *Puri* ſimilem, in urina, poſt benignam criſin, ſubſidere ſæpe deprehendimus; vel methaſtaſi facta, in partem Membranæ Celloſæ, ex qua originem traxit, depoſitam videmus; ſine ulla particulari ſuppuratione antegreſſa.

Concluſio.

Quæ dicta ſunt, ſatis ſuperque, ut ego opinor, evincunt, mutationem Inflammationis in Abſceſſum, in Membrana Celluloſa potiſſimum fieri; actiones ſpontaneas, quibus *Pus* concoqui dicimus, in ea abſolvi, tandem & *Pus* ipſum ex Pinguedine maxima parte originem habere.

Adfluentia Puri *adſimilantur.*

Adfluunt quidem alii humores, & *Puri* admiſcentur: hi autem cujuſcumque ſint naturæ, pinguedinoſæ materiæ, quia hæc primaria eſt, & cæteris abundantior, intima miſcela aſſimilari,

lari, & ab ea quaſi in naturam ſuam ſubigi videntur. Poteſt tamen adfluxus eſſe talis, ac tantus, ut hi illam quantitate ſuperent; unde *Pus* tunc a naturali indole aberrabit, & vel aquoſum, vel ichoroſum, ſive ſanguinolentum, vel alio modo mutatum prodibit; prout hoc vel aliud liquidum, materia pinguedinoſa fuerit abundantius. Omnes præterea mutationes, in materia purulenta obſervandæ, ex ipſa Pinguedinis mutabilitate facili deduci poſſunt.

Ex dictis Definitio & Deſcriptio Suppuratoriorum datur.

Ex iis quæ propoſita ſunt hactenus, facile nunc erit colligere; quid ſit *Pus movere*, vel *Suppurationem inducere*, & qualia Medicamenta *Suppuratoria* dici mereantur. Integra *Puris* generatio ab actionibus quibuſdam ſpontaneis, nulla arte imitandis dependet. Suppuratoria ergo, ſpecifice hanc actionem inducentia in Materia Medica, quantum huc uſque novimus, non reperiuntur. Ipſa autem hæc Actio a quibuſdam circumſtantiis, ut totidem requiſitis, ſive cauſis efficientibus, vel adjuvantibus dependere videtur; & vel majori cum facilitate, vel difficultate peragitur; prout hæ magis minuſque faveant; eæque adminiculis quibuſdam excitari, vel adjuvari poſſunt, earumque impedimenta removeri. Totum itaque artis negotium conſiſtit in removendis impedimentis, quæ *Suppurationem* vel arcere, vel retardare valent, & ſuccurrendis iis requiſitis ſeu cauſis efficientibus, quibus debito modo operantibus, *Puris* generatio facile perficitur. Omnia ergo Medicamenta, qua-

qualia cumque demum fuerint, quæ vel unicæ vel pluribus harum cauſarum inſervire poſſunt, *Pus moventia* vel *Suppuratoria* dici debent. Quoniam vero ſtatus Inflammationis in *Suppurationem* tendentis, poteſt eſſe valde diverſus, ut & circumſtantiæ, eidem faventes, admodum variæ; patet evidentiſsime, quam varia, & ſua natura multum diverſa Remedia hoc, vel alio in caſu *Suppurationem* promovent, in altero applicata, ipſi obſtare poterunt. Ea itaque ſola *Suppuratoria* ſtrictiori ſenſu vocari debent, quæ in certo, & determinato caſu iis auxiliantur Symptomatibus, quorum ope, in eo caſu, *Suppuratio* perfici poteſt.

CAPUT SECUNDUM.

Quibus modis

PUS MOVENTIA operentur.

AD Suppurantium Actiones, ſeu mutationes, quæ in parte, in qua *Pus* formari debet; eorum ope oriantur, quantum rei obſcuritas permittit, explicandas, neceſſe erit, ſeorſum conſiderare Medicamentorum varia genera, a peritis in hunc finem applicari ſolita; & circumſtantias vel Symptomata, antea tradita, quæ ceu totidem requiſita, ut *Suppuratio* fiat, ſemper adſunt, & quibus abſentibus, vel pro parte tantum deficientibus, *Puris* confectio *Suppurationis accidentia, & medicamenta eam adjuvantia conjunctim conſideranda.*

vel difficilis, vel nulla contingit. Ex hiſce enim invicem collatis, luculenter apparebit; quænam, & qualia, quibus modis, & quatenus ad Suppurationem aliquid valeant, vel nihil omnino poſſint. *Suppuratio*, quæ motionibus quibuſdam ſpontaneis abſolvitur, nullius Medicamenti effectus proprie dici poteſt. Neque omnia ad eam neceſſaria requiſita, ſeu concurrentia Symptomata Medicamentis æque facile excitari, vel immutari poſſunt. Motus vitalis, qui requiritur ſuperſtes, ſi deficiat penitus, nulla auxiliorum ope reſtaurari poteſt: præſens autem mutari quidem, variis modis, citatior reddi, vel tardior, & hujus ope Medicamenta Suppuratoria maturationem *Puris* promovere poſſunt. *Puris* autem confectio a Motu Vitali ſolo non dependet; neque *Pus* ex humoribus per vaſa circulantibus præparatur; ſed in cavum, præter naturam factum, delapſis, vel delabentibus (2). Nul-

(2) Pus *intra Vasa fieri, nonnulli volunt, imo & secerni, ut alii in Corpore humores secernuntur. Id vero sufficienter demonstratum nondum vidi. Abscessus si aperiatur, antequam ad maturationem pervenit, & cavum factum est, merum Sanguinem, nullum* Pus *fundit: unde Chirurgi monent Abscessum aperiri non debere, antequam fluctuatio in parte digitis tangentibus potuerit percipi. Quod argumenti loco adducitur de Phtisicis qui ore copiosum* Pus *& diu excernunt, in quorum cadaveribus nulla vomica, nullus locus deprehensus fuerit, in quo* Pus *genitum erat, vel collectum, vel de pleuriticis, a morbo multo crasso, & bene cocto* Pure *liberatis; inscitiam horum auctorum dicam ostendit, vel negligentiam, Sputa mucosa a Puru-*

Nulla itaque Medicamenta, ſua natura, *Pus* concoquere valent; generali tantum actione quædam Symptomata, eorumque cauſas, vel effectus aliquo modo mutare poſſunt, modo iis aliquid addendo, modo abſtrahendo; alia vero omnibus plane immutabilia reſiſtunt. Operationes Medicamentorum in Vaſa, & humores per ea circulantes non multum præſtant; quia *Puris* elaboratio extra vaſa fit. In genere Suppuratoria Maturationem operari dicuntur, quæ Inflammationem, majorem, quam quæ benigna Reſolutione ſanari poſſit, dirigere valent, ne in Gangrænam vel Indurationem, ſed in *Suppurationem* abire cogatur.

Si ad Methodos, Viris, in arte peritiſsimis, maxime familiares, eorumque præſcriptiones, in variis *Suppurationis* caſibus propoſitas, attendamus; omnia quæ ut Suppuratoria unquam comprobata proſtant, ſequentibus modis, vel unico tantum, vel pluribus ſimul, operari videntur.

Sunt,

rulentis vel verò Pure *non discernentium. Verissimum enim est, ubi in Phtisicis vel Peripneumonicis nulla facta fuit congestio* Puris, *nullum* Pus *per os excerni; sed vel Sputa viscida degenerationem glandularum pulmonalium indicantia, vel mucum antea tenuem, & acrem, nunc crassiorem factum, morbum solventem. Accedit, Phtises in frigidioribus regionibus plerumque strumosas esse, & invadere, quos pueros aut juvenes Strumæ vexaverant: quæ* Meadii *observatio est, & experientia confirmata* Mon. & Præc. Med. *pag.* 46.

Sunt, quæ nullis peculiaribus virtutibus prædita, ſine peculiari intentione applicantur; quorum tamen ope ſæpe ſæpius *Suppuratio* ad optatum finem perducitur. Alia agunt ſecundum proprietates inſitas; & prout hæ variant, variis modis *Suppurationi* proficiunt. Singula ſeorſim delibabo.

Aëris acceſſum arcendo. I. Medicamentum qualecumque, ſive Emplaſtrum, ſive Cataplaſma, nullis præditum virtutibus ſpecialibus ad partem inflammatam, *Suppurationem* molientem, a vulgo non tantum artis imperito, ſed & Chirurgis bene multis applicari frequentiſſime videmus. *Suppurationem* inſcie licet pertractatam, ex voto ſæpe, non ſemper, ſuccedere, ſimul obſervamus. Succeſſum benignitati naturæ, vel actionibus ſpontaneis, potius, quam adjumento artis, vel Chirurgorum prudentiæ adſcribendum eſſe, non inficior. Omnia autem hujuſmodi, in multis adeo caſibus, nihil quicquam ad maturationem efficere, ſana ratio ſuadere non videtur. Simpliciſſima etenim Medicamenta, vel quæ horum titulo applicantur, aëris liberum acceſſum arcere, & proin calorem internum conſervare apta ſunt, involutione partis ſola. Aëris acceſſus, ob perpetuas alterationes caloris, & frigoris, *Suppurationi* maximopere obeſt. Quæcunque itaque tale impedimentum ſemovere valent, multum *Suppurationi* proficiunt. Quæ latent, ſive mobilia, ſive ſtagnantia, jam æquali tempore faciunt. Partium heterogenearum in li-

liquidum homogeneum aſsimilatio, quæ non momentanee, ſed ſucceſsive fieri videtur, nec niſi intima ingredientium miſcela, optime perficitur; calore, fotu, & coctione, ſic dicta excitata æquabili. Hæcce itaque, ſi *Suppuratio* fiat facilis, re ipſa *Pus*, dicto modo concoquere dici poſſunt.

Hiſce forte æqualia cenſenda ſunt, quæ ex variis, e directo ſibi oppoſitis Medicamentis; calefacientibus, v. g. & frigefacientibus, adſtringentibus, & relaxantibus compoſita, tanquam præſtantiſsima Suppuratoria laudantur. Modo ea qualitate gaudeant, quod partem involvendo, calorem internum arcere, & conſervare poſsint, *Suppurationem* adjuvant: ſin minus vel nihil præſtant, vel *Suppurationi* obſiſtunt. Felices rerum eventus non ſemper Medicamentorum ſelectum comprobant.

II. Eadem Medicamenta, & alia multa hujuſmodi, præter dicta, nimiam Perſpirationem in parte impediendo, *Suppurationem* promovent. Non ſolum etenim calor in parte conſervari, ſed exſiccatio quoque impediri debet. Humiditatem æque, ac Calorem, ad *Suppurationem* perficiendam neceſſe eſſe, omnes Practici unanimi conſenſu teſtantur, & experientia confirmat. Hiſce ſimul junctis, liquidiora cum craſsioribus facile permiſceri poſſunt; quod neceſſarium eſt, ut fiat traſmutatio in *Pus*. Quælibet ergo Medicamenta, cuti tenacius adhærentia, & poros obſtruentia, licet nullis præterea ſpecialibus gau- *Nimiam Perſpirationem cohibendo.*

gaudeant virtutibus, hoc agendo, *Suppurationi* maximopere opitulantur.

Partes relaxando. III. Multæ reperiuntur Formulæ ex relaxantibus, & emollientibus compoſitæ, ab optimis Scriptoribus commendatæ, uſuque comprobatæ. Specifice magis hæc Medicamenta, peculiaribus virtutibus prædita, revera agunt. Hæc etenim Cutim, & partes externas relaxando, magis extenſiles reddunt. Facilis autem intumeſcentia *Suppurationi* maxime prodeſt, ut antea vidimus. Omnia ejuſmodi partes corporis ſolidas aquoſa, & ſuboleoſa mucagine humectando, vel oleoſis, & pinguibus particulis leniendo, eas minus cohærere faciunt, ut preſsioni, internæ factæ, cedant facilius. Sic multa vaſa, ab omni parte compreſſa, & coarctata liberantur, & ſuffocatio, vel Gangræna arcetur. Partes interne humectatæ, & relaxatæ in rupturam facilem pronæ evadunt. Cavum, in quod materies, *in Pus* transformanda depluit; in quo colligi, & concoqui debet, facile conficitur. Omnia itaque emollientia, & laxantia dicto modo, Suppurantium munere funguntur; & ſæpe integrum *Suppurationis* opus ad optatum finem perducunt. Imo & Cutim ipſam rumpi faciunt, ſicque *Puri* exitum liberum conciliant. Quoniam in quamplurimis caſibus aliud nihil requiritur; talia, ſpecifico titulo, inter Suppurantia recenſeri videmus. Ea autem ſola ubique, & æqualiter ſatisfacere, ſanæ mentis nemo facile adfirmabit.

Calorem inflammatorium minuendo. Multa, quæ calorem in parte imminuere va-

valent Medicamenta, Suppurantium catalogo inſerta conſpiciuntur. Imo ex hiſce ſolis multæ Remediorum compoſitiones concinnatæ proſtant. Inter hæc Relaxantia ſæpe numero Frigefacientium titulo proponuntur. Accedunt & alia, quæ potentia, vel actu frigus inducere valent. Dictum eſt antea, calorem nimium *Suppurationem* prohibere; quia Gangræna prius orietur quam *Suppuratio* contigerit. Relaxantia omnia fere, partium ſolidarum renixum minuentia, motum nimium moderantur, ſimulque calorem, motus effectum. Hinc Inflammationis augumentum ſiſtitur; circulatio, vel retrogreſſus humorum ſtagnantium utcunque reſtituitur; Inflammatio ipſa magna parte reſolvitur, & citiſsima inſtans putredo, ſuffocationis particularis individua comes, arcetur. Quæ relicta fuerint, minori inflammatorii caloris vi agitantur; per vaſa tamen retroire non valentia, talem ſubeunt mutationem, qualem morbi ſtatus inducere poteſt, h. e. *Suppuratione* oboriente, in *Pus* concoquuntur. Quæ majori potentia, vel actu refrigerant, calorem extinguendo, & partes conſtringendo, majori vi idem Suppurationi præſtant officium. Videmus itaque, quibus modis Medicamenta calorem minuentia, vel frigus inducentia, *Suppurationem* adjuvant.

V. Calefacientia quoque Medicamenta ſæpe numero parti, in Abſceſſum abituræ, cum fructu applicantur. Requiritur certus quidam caloris gra- *Calorem augendo.*

gradus ; ut Maturatio fiat; hæc ſi deficiat, non ex voto res ſuccedit, ut antea eſt demonſtratum. Medicamenta ſtimulantia, calida dicta, motum in partibus ſolidis incitare valent, & proin calorem, tanquam effectum augere; idque eo magis, quo plus ab igne ſimul calefacta ſint. Sic Motus Vitalis vel & particularis, ad ſuſtentandam in parte vitam, ſumme neceſſarius, incitatur; & quæ inde dependent actiones ſpontaneæ, *Pus* concoquentes, nimis languidæ, inſtigantur; liquatio eorum, quæ calore diſſolvi debent, ut in *Pus* abeant, perficitur. Hiſce modis calefacientia ad *Suppurationem* proficiunt.

Sed præterea etiam alia officia ad *Suppurationem* præſtant varia Medicamentorum jam nominatorum genera.

Motum inteſtinum inferendo. Motum quendam inteſtinum, inter ſtagnantes vel in cavum depluentes humores excitant. Partium heterogenearum in unum liquidum homogeneum miſcela, ſine motu inteſtino nullo modo fieri poteſt. Multa enim tenaciora ſunt, quam quod facile, & ſine excitato quodam motu, in liquorem *Puri* ſimilem ſolvantur. Medicamenta natura calida; quin & cujuſcunque naturæ fuerint, igne calefacta, parti, Abſceſſum minitanti impoſita, ejuſmodi motum inducere valent. Fermenta, & Fermentantia, aliaque motu inteſtino gaudentia, motum aliqualem in parte excitando, vel præſentem augendo, ſimi-

milem quid, minori autem cum efficacia, efficere valent.

Dein levioris Putredinis principium inducunt. Putredo, in corpore vivente, vocatur diſpoſitio talis, qua fluida a propria natura adeo degenerant, ut mutua partium commixtio ſoluta; ſolidorum nexus adeo debilitatus ſit, ut leviore facta impreſsione, in ſtatu ſano facile ſuperabili, rumpantur. Hujuſmodi Putredo in humoribus generari oportet, ut *Suppuratio* fiat. Similis quædam diſpoſitio in ſolidis, Membrana præcipue Celluloſa, requiritur, ut ruptura, ad cavum faciendum neceſſaria, contingat. Humiditas cum caliditate conjuncta, ad partes animalium applicatæ, eas in putredinem diſponunt. Humectantia quæcunque igne calefacta, vel cum calefacientibus mixta, talem in parte ſuppurante ſtatum producere valent. Oleoſa, & Pinguia iis addita effectum augent, & accelerant; quatenus ſuapte natura, calore applicato, facile, & cito putreſcunt; eoque citius, quo rancidicati, h. e., Putredini ante applicationem propiora ſunt. Quamobrem a variis Auctoribus, præ aliis commendantur. Tandem & hiſce ruptura externa avide deſiderata ab ægris, ne cultello Chirurgico ſe ſubmittere cogantur, promovetur, & perficitur. *Putredinem inducendo.*

Videmus ergo ex hiſce, ut ego opinor, clariſsime, quot, quibuſque modis, *Suppuratio* Medicamentis promoveri poſsit; quid quælibet, applicata cum judicio, ſpecifice agant; quid alia,

alia, ex variis, diverſarum virtutum conjuncta, in bonum *Suppurationis* contribuere valeant; quando, & quibus in caſibus, quævis intentioni Chirurgicæ ſatisfaciant, & *Suppurationem* re ipſa adjuvent.

Digeſtiva pleraque ſimilibus modis operantur.

DIGESTIVA quod attinet, vulneribus vel ulceribus applicanda, ut *Puris* generatio cum adjuvetur tum corrigatur, vel ſimilibus, ut de Suppuratoriis dictum eſt, modis, operantur, vel ab iis non multum diverſis. Differunt maxime in eo, quod ipſi quaſi humido, in *Pus* transformando, & ruptis ex partibus effluenti, admiſceantur; ipſis partibus læſis, ex quibus originem trahit *Pus*, applicantur; & in ipſum cavum, in quo concoquitur, intrudantur. Recenti vulneri applicata ea *Digeſtiva* evadunt, quæ aeris acceſſum, & frigoris injurias arcendo, Inflammationi oriundæ, ſine qua nullus *Puris* exortus, locum concedunt; inſtantem jam vel & præſentem, ſi vehemens ſit, moderantur: vel juſto minorem adaugent.

Cruſtam in lapſum diſponendo.

In Ulcere inveterato, Cruſta vel ſorditie infecto, Relaxantia, cruſtam, & ſorditiem humectantia; ut nexu ſoluto, excidant; *Digeſtionem* promovent vel reſtituunt.

Laxitatem partium corrigendo.

Si vero, ex ruptis magno numero cellulis, vel vaſculis Membranæ Celluloſæ nimium dilatatis, materia prodeat, tenuitate ſimul, & copia peccans; ſtimulantia Balſamica, & Reſinoſa, rigiditatem, & motum inſtaurantia *Digeſtioni* opitulantur. Adſtringentia ſtricte dicta,

idem

idem efficiendo, *Digeſtionem* promovent; dum nimium humorum adfluxum coërcent, effluentem detinent, ut longiori mora, partibus tenuioribus diſſipatis, vel venarum minimarum oſculis reſorptis, in laudabile *Pus* traſmutentur.

In Ulceribus malignis, fortiora adſtringentia, ſimile quid præſtando, ichoroſam materiem inſpiſſare, & in *Pus* bonum quandoque transformare valent. *Ichor ſimilibus corrigi poteſt.*

CAPUT TERTIUM.

Medicamentorum PUS MOVENTIUM *claſſes.*

SUppuratoria Medicamenta conſtituunt ea omnia, quæ generali quadam actione, vel peculiari virtute, ſive unico ſive pluribus ſimul Symptomatibus, ad Maturationem neceſſariis, excitandis, vel promovendis, ſeu adjuvandis, inſervire poſſunt. Magna hic prodiret Remediorum caterva, quando omnia, quæ in Materia Medica cognita, ad hanc rem apta ſunt, congerere vellem: imo finis inveniri vix poſſet, ſi per ſingula quæque divagari animus eſſet, tam ſimplicium, quam compoſitorum, quin ad *Suppurationem*, quodam ſaltem in ſtatu, aliquid efficere valerent. Sufficiet quædam eligere, eaque in Claſſes, qualitatum ratione habita, ſeorſum reponere. *Suppurationis* ſtatus quicumque primarius, ſeu determinata intentio Medici, vel Chirurgi, ſuppurationem promo- *Suppuratoria Medicamenta quænam, & qualia.*

 vere

vere conantis, ſingularem Medicamentorum Claſſem efformabit; quorum ſpecialem delectum, Symptomatum, *Suppurationem* vel antecedentium, vel concomitantium varietas tandem limitare debebit. Selectis in qualibet Claſſe propoſitis, quiſque pro lubitu talia poteſt adjungere, quæ æqualibus virtutibus prædita videntur.

Claſſis Prima.

Generalia partem deſendentia. PRIMAM itaque Claſſem componunt ea Medicamenta; quæ parti inflammatæ, in *Suppurationem* abituræ, applicata, Aëris externi acceſſum arcendo, calorem, & humiditatem conſervant, & determinant. Hæc ſpeciali virtute gaudere opus non eſt; vel ob nullas ſaltem proprietates inſitas eliguntur; & vel ſimplicia, nulla præparatione adhibita, vel invicem mixta, & ſubacta imponuntur; qualia ſunt

Emplaſtica. 1. Emplaſtica, quæ ſuperficiei partis illita, vel appoſita, tenaciter hærent, & præcluſis meatibus, perſpirationem arcendo, humiditatem & caliditatem intus continent. Frigida ut plurimum imponuntur, ut

Simplicia, *Pix*,
Reſina,
Cera,
Oleum,
Adipes.

Compoſita ex hiſce, & ſimilibus, ut

Em-

Emplaſtrum Baſilicum minus

2. Simili modo agentia, calida & præparata imponuntur *Involventia calide applicata.*

Rapæ,
Semina Avenæ,
Hordei,
Lini,
Panis Biſcoctus,
Triticeus,
Secalinus.

Liquores excipientes, quibus permiſcentur, vel incoquuntur
Aqua,
Cerevifia,
Lac Vaccinum;

Horum Compoſita, præcipue ſunt Fomenta & Cataplaſmata pro lubitu Artificis concinnata.

Claſſis Secunda.

1. SECUNDA Claſſis ea comprehendit, quæ partes, quibus applicantur, relaxare valent, eaque virtute Intumeſcentiam, & Rupturam facilem reddunt. Hoc præſtant, *Relaxantia Intumeſcentiam & Rupturam adjuvantia.*

1. Ejuſmodi Vegetabilia, quæ ſucco aquoſo, & mucilaginoſo prædita, partes humectando, *Vegetabilia mucilaginoſa.*

& ſuboleoſo quaſi muco involvendo facile extenſiles reddunt, ut

Simplicia, *Radices Althææ,*
Symhiti,
Liliorum alborum.
Herbæ Malvæ,
Althææ,
Verbaſci,
Brancæ urſinæ.
Violariæ,
Parietariæ.
Flores Liliorum alborum,
Althææ,
Malvæ,
Verbaſci,
Sambuci.
Fructus Caricarum pinguium.
Meſpilorum putreſcentium.
Semina in 1. Claſſe N. 2. recenſita
Præterea *Farinæ fabarum,*
Foenugræci,
Lupini,
Orobi.
Ex Animalibus, *Mel,*
Vitellus ovi.

Liquores excipientes in prima Claſſe N. 2. propoſiti, huc quoque referendi.

Oleoſa, & pinguia, 2. Olea, & Pinguia ex Vegetabilibus, & Animalibus deſumta, quorum emolliendi, & rela-

relaxandi potentia, antecedentium virtute prævalet, ut

Simplicia *Oleum Palmæ*,
Raparum,
Olivarum.
Adeps ſuillus aliorumque Animalium
Medullæ variorum,
Spermaceti,
Butyrum non ſalitum.
Compoſita, *Oleum Liliorum alborum*,
Unguentum Althææ,
Baſilicum.
Emplaſtrum *Diachylon ſimplex*,
de mucilaginibus.

Hiſce in Cataplaſma, vel Emplaſtrum redactis, & miſtis propoſitæ intentioni ſatisfieri poteſt.

Claſſis Tertia.

TERTIAM Claſſem ingrediuntur, quæ calorem inflammatorium, nimium ſævientem, minuendo, *Suppurationem* promovent. Id quidem faciunt modo memorata Vegetabilia ſecundæ Claſſis, ſi cum aqua ſubacta, vel cocta, tepide imponuntur. Hæ motum attritumque minuendo, Refrigerantia dici poſſunt. Majori tamen cum efficacia agunt, quæ potentia *Calorem minuentia.*

 fri-

ſrigida, vel & frigide quoque applicata, actu ſrigeſaciunt, ut

Refrigerantia.

Simplicia, *Lens paluſtris*,
Folia Nymphea,
Hyoſcyami,
Acetoſa,
Poma acida,
Nitrum,
Sal Ammoniacum,
Compoſita, *Unguentum Populeum*,
Excipientia, *Lac Ebutyratum*,
Acetum.

Claſſis Quarta.

Calorem augentia.

QUARTA Claſſis ea recipit Medicamenta, quæ calorem adeo parvum, ut *Suppuratio*, vel tardius procedat vel non ſequatur, excitare, vel augere poſſunt. Quorum quædam etiam ſine antegreſſa præparatione vel miſcela; alia cum aliis permiſta, & in Formulam redacta adhibentur. Hujuſmodi ſunt

Motu inteſtino calefacientia.

1. Quæ motu inteſtino gaudentia calent, & calefaciunt

Fermentantia, *Farina quævis cum Melle ſubacta*,
Fermentum panis.
Putreſcentia, *Stercus Bovinum*,
Suillum,

Ca-

Stercus Caprillum,

Columbinum.

2. Quæ fragranti, & aromatica virtute pollentia, calorem motumque in parte augere, & *Suppurationem* hac de cauſa incitare poſſunt. Reſinoſa præcipue, & Gummoſa. *Fragranti & aromatica virtute pollentia.*

Simplicia *Ammoniacum,*

Galbanum,

Bdellium,

Sagapenum,

Elemi,

Styrax,

Ladanum,

Myrrha,

Opopanax,

Aloë,

Thus,

Compoſita, *Emplaſtrum Diachylon cum Gummi,*

de Galbano crocatum

Mellito

Hæc vel ſimplicia, & per ſe uſui inſerviunt, vel Compoſitionibus immiſcentur.

3. Fragranti, & volatili aromate prædita. *Fragranti & volotici aramate predita.*

Simplicia, *Herbæ Baſiliconis,*

Matricariæ,

Majoranæ nobilis,

Herbæ Salviæ,
Menthæ,
Rutæ.
Flores *Chamæmeli*,
Meliloti,
Trifolii odorati,
Croci.
Semina *Anethi*,
Foeniculi,
Cumini.

Penetrante virtute calefacientia.

4. Quæ minus volatili, valde autem penetrante virtute calefaciunt
Simplicia, *Herbæ Abrotani*,
Artemiſiæ,
Phellandrii,
Abſinthii.
Semen *Sinapi*.
Grana *Piperis*.
Baccæ *Lauri*.
Radices *Iridis*,
Coſti,
Ariſtolochiæ,
Zingiberis.
Liquor excipiens, *Vinum*,
Compoſita *Oleum Chamæmeli*,
Rutæ,
Anethi,
Abſinthii,
Trifolii odorati.

Hæc raro per ſe, ſed vel invicem, vel cum aliis, miſta applicantur.

5. Quæ

5. Quæ magna acrimonia irritant *Magna acrimonia irritantia.*

Simplicia, *Radices Allii,*
Cæpæ,
Squillæ,

Harum prima, & ſecunda aliquando ſolæ, aliquando cum aliis combinatæ, tertia numquam, niſi aliis permiſta in uſum revocatur.

6. Acria, & ex acribus, & calidiſſimis compoſita, & præparata, aliis ut plurimum adjutoriorum loco adjungenda. *Acria ſimplicia & compoſita.*

Fel Taurinum.
Theriaca.
Sapo niger.

Hæcce commode quartam Claſſem determinare poſſunt, intentioni prædictæ utilia, & ſatisfacientia.

Hiſce, quæ jam propoſita ſunt, ſecundum Artis inſtitutionem electis, & juxta Formularum regulas in Compoſitiones redactis, vel per ſe applicatis, omnibus omnino indicationibus ad *Suppurationem* requiſitis, ſatisfieri poſſe mihi videtur.

Quæ in ſingulis Claſſibus recenſita ſunt Medicamenta, ut non ejuſdem ſunt utilitatis; ſic ad indicationes ſingulares non ſunt æque neceſſaria. *Singulorum uſus ſingularis vel generalis.*

ſaria. Multa quidem ad ſcopum, quem intendimus, requiruntur: alia vero correctorii, vel adjutorii vices gerunt. Quædam aliorum diſſolutioni ſolum apta, & deſtinata ſunt. Alia componendis Formulis Excipientis ſeu Vehiculi loco inſerviunt. Horum autem varia quoque, & proprietatibus vel indole valde diverſa propoſita inveniuntur: ut in qualibet indicatione talia eligi poſſent, quæ aliis, Baſin Compoſitionis conſtituentibus, maxime conveniunt, & intentioni ſimul proficiunt. Sunt etiam quæ pluribus indicationibus inſervire poſſunt, ut deinceps, quando de uſu Suppurantium ſermo erit, ulterius dicetur. Quamobrem licet arctis hæ Claſſes determinatæ ſint limitibus, haud raro quædam ex una, alteraque Claſſe conjungere, non inutile, & peritiſſimis Chirurgis familiaris uſus eſt.

Digeſtiva.

Digeſtiva *Similia primæ & ſecundæ claſſis.*

DIGESTIVA quod attinet, ſimilia, quæ ad *Suppurationem* obtinendam propoſita ſunt, ſimilibus indicationibus ad promovendam *Digeſtionem* optime reſpondent. Quæ in prima Claſſe Suppurantium enumerata ſunt ad *Suppurationem* itidem proſunt. Quæ in ſecunda Claſſe recenſentur, ſorditiem, vel cruſtam, quæ *Digeſtioni* impedimento eſt, cadere faciunt. His addi poſſunt ſequentia

Sim-

Simplicia, *Propolis,*
Adipes inſpiſſati.
Compoſita, *Unguentum Althææ,*
Baſilicum,
Aureum,

Præterea *Digeſtioni* opitulantur

1. Quæ calorem, & motum in parte adaugent, ut Reſinoſa & Balſamica, in quarta Claſſe N. 2. enumerata, quibus addi licet

Preterea Calorem & motum augentia.

Simplicia, *Terebinthina,*
Balſamum Copayvæ,
Peruvianum,
Opobalſamum,
Olibanum,
Maſtiche.

Compoſita *Balſamum Arcæi.*

Et præparationes Gummi, & Reſinarum aromaticarum, magis minuſque compoſitæ ut
Tinctura Myrrhæ,
Aloës,
Laccæ.

2. Quæ adſtringendi virtute nimiam laxitatem in parte corrigunt

Adſtringentia laxitatem corrigentia.

Simplicia *Herba Alchimillæ,*
Folia Sabinæ,

Nym-

Folia Nympheæ,
Quercus.
Muſcus quercinus,
Flores Roſarum rubrarum,
Balauſtiorum.
Compoſita, *Mel roſarum,*
Aqua Calcis,
Divina Fernelii.

Eſcarotica. 3. Eſcharotica, ex vetuſto novum ulcus quaſi formantia

Mercurius ſublimatus,
Butyrum Antimonii.

CAPUT QUARTUM.

Medicamentorum,

PUS MOVENTIUM.

Uſus in morbis externis.

Suppurationi ubi conveniant. QUANDO Inflammatio in quadam parte ingens ſit; ejuſque Symptomata poſt Medicamentorum Reſolventium rite inſtitutum uſum perſiſtant, vel augeantur perpetuo; Affectum benigna reſolutione ſanari non poſſe novimus. *Suppurationem* tunc expectare oportet; ſine qua nulla liberatio partis ſperanda, eamque omnibus

omnibus viribus promovere. Varius autem morbi inflammatorii ſtatus, major minorque actionum ſpontanearum, in *Suppurationem* inclinatio, vel & properatio; ætas præterea, temperies, & quæ adſunt Symptomata varia, ac diverſa Remedia, ad prædictum finem obtiuendum indicant.

In omni Inflammatione ad *Suppurationem* tendente, & omni *Suppurationis* ſtatu conandum eſt, quod ſæpius jam innuimus, ut calor & humiditas in parte conſerventur: & in multis admodum caſibus nihil præterea requiritur. Emplaſtica ſola, vel Emplaſticorum more agentia ad id efficiendum ſufficiunt. *Calor & humiditas in parte conſervanda.*

Formula omnium ſimpliciſſima, Emplaſtrum eſt, ſive ex ſimplici corpore præparatum, ſive variis mixtum, & compoſitum. *Emplaſticis.*

Pix ad Linteum, vel Alutam extenſa, & parti applicata *Suppurationem* promovet.

Si tenacius adhæſerit, quam conveniat; *Pix* cum æquali *Sevi* & media *Olei* parte liquata, ad uſum appropriari poteſt.

Ex *Reſina* & *Cera* cum *Adipe*, æquali copia permiſtis, ſimile Medicamentum præparatur.

Quod hiſce ſimile in Pharmacopoliis præparatum proſtat, *Emplaſtrum Baſilicum*, ſcopo ſatisfacit. Si tumor non ſit valde extenſus, & pleraque, quæ ad *Suppurationem* neceſſaria ſunt requiſita, adfuerint, maturatio ex voto ſuccedit.

Idem

Involventibus calide applicatis. Idem efficitur aliis Medicamentis, partem involventibus, tepide vel calide applicatis, ſimplicibus vel compoſitis.

Cataplaſmatis requiſita. Cataplaſmatis Forma, præ omnibus aliis Formulis, ad quamcumque Intentionem *Suppurationis* promovendæ conducit. Parti etenim nimia tenacitate, nullam parit moleſtiam; & mollitie ſua omni loco facile appropriari poteſt; ab igne, prout requiritur, calefieri; & calorem diu retinere. Nam quod crudum vocatur, raro ad *Suppurationem* convenit: niſi ex farinoſis cum *Melle* ſubactis, in quibus, calido loco ſi applicentur, fermentatio & calor aliqualis oritur, cæterum frigiditate nocet. Quo ſimplicius & minus compoſitum fuerit Cataplaſma eo melius; modo intentioni reſpondeat. Quo major Medicamentorum farrago Formulam ingreditur, eo facilius error in electione committitur, & quæ diſsimilia ſunt, tanquam ſimilia conjunguntur; quod Chirurgo turpe & ægro noxium evadit. Notandum, ne Vehiculo, vel Liquore excipiente nimium humectetur; id enim caloris conſervationi maxime obeſt; contra quoque, ne nimiam ſiccitatem habeat: quoniam tunc calefacit quidem, ſed exſiccat ſimul, quod non intenditur. Pinguia & Oleoſa modica quantitate addita exſiccationem arcent.

Cataplaſma ſimplex. *Rapæ* ad mollitiem coctæ, vel ſub cineribus aſſatæ, Cataplaſmatis calidi ſimplicisſimi forma,

ma, ſatis bonum præbent Suppuratorium.

Semina *Avenæ*, vel *Hordei*, vel *Lini* ex quibus oleum eſt expreſſum; tenuiſsime trita, cum aquæ tanta copia cocta, ut pultis ſpiſſioris conſiſtentiam acquirant; calide parti impoſita & firmata, bis terve de die renovata, dicta operandi methodo *Suppurationem* procurant.

Panis ſecalinus, *triticeus*, ſive *biſcoctus*, minutim contritus; vel in *aqua* ad teneritudinem maceratus, & ad pultis conſiſtentiam coctus, ſuper linteum extenſus, & parti in *Suppurationem* tranſeundæ adaptatus; *Pus* in cavo ex voto concoqui facit.

Mira quidem ſimplicitas; ipſis autem rei eventibus præmonſtrata & confirmata.

Cum vero *Suppuratio* præſcriptis Remediis vel non, vel non ſatis cito ſucceſſerit; & difficilis Intumeſcentia impedimento ſit; talia applicari debent, quæ partes extenſiles reddunt, & Intumeſcentiæ commodum præbent locum. Id effici poteſt iis vel ejuſmodi remediis, quæ in ſecunda Suppurantium claſſe recenſita inveniuntur. *Relaxantibus intumeſcentia partis augetur.*

Emplaſtrum Diachylon ſimplex, & alia ejus generis plura, ad hanc Indicationem apta ſunt. Præſtat autem Cataplaſma, ex dictis ſimplicibus preparatum: quale ſequenti, & multis aliis modis concinnari poteſt. *Emplaſtro.*

Pulti ex Seminibus contritis antea præſcriptæ vel ex pane preparatæ addi poſſunt *Herbæ*, earum- *Cataplaſmate.*

rumque partes *Olea* quoque, vel *Adipes* quantum ad obtinendam Intumeſcentiam neceſſe judicatur.

Simplici. Vel Recipe *Caricar. ping.* q. ſ.

Coquantur in *Aqua* & contundantur in pulpam. Addatur *Farinæ Fœnugræci* q. ſ. ad conſiſtentiam Cataplaſmatis.

Magis compoſito. Recipe *Radic. Althææ* Unc. VI.

Coquantur in *Aqua communi* ad molliтiem; contuſis, & per cribrum trajectis addantur.

Ol. lilior. albor. Unc. I

Farin. ſem. lini q. ſ.

Miſceantur, & ſuper linteum extenſa applicentur,

Recipe *Folior. Malvæ* Manip. II.

Flor. Verbaſci Manip. I.

Herbæ, & Flores exsiccandæ, contundendæ & per cribum trajiciendæ prius; dein in pulverem redactæ, coquantur in *Aquæ* & *Lactis vaccini* ſufficienti copia. Addatur inter coquendum.

Panis biſcocti triti quantum ad debitam conſiſtentiam requiritur.

Mellis communis Unc. I. & ſemis

Butyri non ſaliti Drach. VI.

Herbæ, *Folia*, *& Flores*, exceptis iis, quæ recentes, & ſucculentæ eam ob qualitatem in uſum trahuntur, contundantur, & cribentur ſem-

ſemper antequam Cataplaſmati admiſceantur. Sic etiam aliis Ingredientibus farina quælibet, vel contritus panis, nunquam non admiſceatur; pultem enim tenaciorem, magiſque cohærentem reddunt.

Ut hæ ſimplicisſimæ Formulæ, ſic ex omnibus, quæ ejuſdem ſunt virtutis pro lubitu, magis compoſitæ præſcribi, vel conſtitui poſſunt.

Calor quandoque moderandus.

ALIQUANDO Inflammationis calor tantus eſt, ut niſi moderetur, Tumor in Gangrænam prius tranſeat, quam *Suppuratio* acceſſerit. In eo ſtatu calorem minuentia, ſeu frigus inducentia adhibere oportet. Relaxantia omnia, qualia in ſecunda Claſſe enumerata ſunt, id magna parte efficiunt: ut antea eſt demonſtratum. Quando vero hæc ſufficere non videantur, ad Refrigerantia proprie dicta veniendum eſt, in tertia claſſe reperiunda. Utraque vel ſola Formulas ingrediuntur, vel mixta invicem combinantur V. G.

Relaxantibus & Refrigerantibus.

Recipe *Herbæ Brancæ Urſinæ*,
Parietariæ ana Manip. II.
Acetoſæ recentis,
Hyoſcyami ana Manip. I.
Coquantur in *Lacte ebutyrato* ad teneritudinem: contritis omnibus addatur
Farinæ lupinorum q. ſ. ad conſiſtentiam,
Nitri vulgaris Drachm. II.

D *Po-*

Poma acida coćta, vel aſſata per ſe imponuntur

Recipe *Lentis paluſtris,*
Folior. recent. Nymphææ ana
Unc. VI. vel q. p.
Coquantur in *Aqua* communi ad mollitiem; conterantur, ut ſit æqualis pulticula; cui addatur
Panis biſcocti contriti, q. ſ. ad conſiſtentiam.

Mixtis ex utriſque. Eodem perfecte modo variis compoſitionibus ex Relaxantium Claſſe petitis, alia Refrigerantia admiſceri poſſunt; ut *Sal Ammoniacum*; & pro emolliendi Cataplaſmate loco *Olei*, vel *Adipis*, *Unguentum Populeum*, *Acetum* cum æquali parte *Aquæ* permixtum accommodatum quoque præbet vehiculum.

Cautela neceſſaria. Magna autem cum circumſpectione in hiſce procedendum eſt; ne Frigefacientia, vel nimia copia, nel nimis diu applicata, frigore, & conſtrictoria vi repellentia, ſpontaneas Actiones, *Suppurationem* operantes infringant potius quam adjuvent.

Corollaria. Intelligitur hinc. 1. *Cur Inflammatio in Abſceſſum tendens, ejuſmodi Suppuratoriis pertractata, citiſſime quandoque in Gangrænam tranſeat.*

2. *Cur loco Abſceſſus ſæpe Induratio poſt Inflammationem relinquatur.*

Calor ſæpe augendus. SÆPIUS multo contrarium obtinet: Motum nempe & Calorem, ubi *Pus* fieri debet, languere;

guere; & *Suppurationis* opus vel non, vel tardius juſto abſolvi. Medici tunc, vel Chirurgi munus eſt, Actiones ſpontaneas incitare Medicamentis, motum & calorem in parte augentibus vel excitantibus. Poſſunt in hunc finem Formulis in primo caſu præſcriptis addi talia, quæ inſita virtute calefacientia, & ſtimulantia ſunt, in quarta Claſſe repoſita; vel ex iis ſolis Formulæ concinnari.

Formulis I. Claſſis calefacientia poſſunt addi.

Compoſitioni antea propoſitæ, ex *Reſina*, *Cera* & *Adipe*, æquali copia ſumtis, dupla quantitas Myrrhæ, alteriuſque Gummi aromatici, in pulverem tenuiſſimum contriti, admiſceri facile poteſt

Emplaſtra in quarta claſſe prolata utilia ſunt.

Vel Recipe *Micæ panis* q. p.

Coquatur in *Lacte vaccino*, ut ſit puls modice ſpiſſa. Hujus libræ ſemis addantur *Formula.*

Gummi Galbani cum
Vitello ovi ſoluti Unc. I.
Flor. Croci pulver. Drachm. ſemis

Miſceantur, & extenſa ſuper linteum duplicatum, applicentur.

Simili modo, cuicumque Formulæ ſimpliciſſimæ, calefacientia quædam adjici poſſunt. Relaxantia cum Calefacientibus, facile & bono cum ſucceſſu combinantur, ut

Recipe *Folior. Althææ,*
Violariæ,
Herb. Majoranæ nobilis

Herbæ Baſiliconis ana Manip. I. vel q. p.

Flor. Liliorum alborum,

Sambuci,

Chamæmeli,

Meliloti ana Manip. ſemis.

Coquantur cum ſufficienti copia *Cerevifiæ fermentatæ*. Addantur

Farinæ Orobi q. ſ. ad conſiſtentiam,

Olæi Chamæmeli Unc. I.

Calefacientibus ſolis. Si vero motus magis incitandus; ex calefacientibus ſolis formulæ conficiuntur.

Simplicibus. *Maſſa Farinacea*, cum *Melle* ſubacta, & in Fermentationem acta, leniſſimum tantum calorem parti imprimere valet.

Animalium ſtercora calide applicata, vel & aliis Compoſitionibus addita, optimum Suppuratorium præbent; modo fœtore ingrata non eſſent.

Cæpæ coctæ, vel ſub cineribus aſſatæ & contuſæ, per ſe Cataplaſma ſuppurans calefaciens conſtituunt.

Compoſitis. Vel Recipe *Folior. Menthæ*,

Rutæ,

Abrotani,

Abſinthii,

Flor. Trifolii odorati ana Manip. I.

Radic. Ariſtolochiæ rotundæ

Baccar. Lauri ana Unc. I.

Coquantur in *Vini* & *Aquæ* partibus æqualibus. Addantur

Ce-

Cæparum ſub cineribus aſſatarum N. II.

Farinæ fabarum q. ſ. ad conſiſtentiam.

Recipe *Radic. Iridis*,

Coſti, ana Unc. I.

Herbæ Matricariæ Manip. III.

Flor. Croci Drachm. I.

Semin. Anethi

Cumini ana Drach. II.

Coquatur *Panis triticeus* tritus in *Aqua comuni* ad Pultis dilutioris conſiſtentiam; inſpergantur tunc præſcripta, in pulverem redacta & cribrata, ut Cataplaſma ſatis conſiſtens efformetur; cui poſt coctionem, *Vini* q. p. vel *Vini ſpiritus*, ſi id requiratur, admiſceri poteſt.

Hac Methodo, quæ & allis Formulis applicari poteſt, parum virtutis fragantis inter coquendum perit.

Hujuſmodi Formulæ poteſt etiam *Fel Taurinum*, *Sapo Niger*, vel & *Theriaca* admiſceri, ut motus & calor incitentur magis (*a*). *Additis ſtimulantibus acris.*

Quando ad maturitatem accedat Abſceſſus, par- *Ad finem oleoſa, & pinguia adjungere oportet.*

(a) *Ex dictis liquido constat, Relaxantia Calefacientibus æque ac Frigefacientibus cum fructu admisceri; Calefacientia autem & Frigefacientia, Relaxantia, & Adstringentia simul juncta, se invicem quoad effectum destruere.*

partes externæ maxime relaxandæ ſunt, ut ad rupturam fiant pronæ. *Oleoſa* & *Pinguia*, ſive ſimplicia, ſive compoſita in ſecunda claſſe N. 2. exhibita, vel parti nudæ imponenda vel magna quantitate Suppuratoriis, Cataplaſmatibus præcipue immiſcenda. Hiſce etenim leviſſima aliqualis Putredo inducitur, quæ partes rumpi facit. Cum vero Gangrænæ aliquod diſcrimen ſubſit; ea vel omittenda, vel parciori copia adhibenda; quia Putredinem, in quam omnia tunc inclinant, nimium adaugerent.

In Glandulosis Obſtructionibus Inflammatione adveniente calidiſſima conducunt.

In Glanduloſis obſtructionibus, quæ reſolubiles non ſunt, neque tamen Scirrhoſæ, Suppurantium uſus, vix prodeſt, antequam aliqualis Inflammatio, maturationem moliens, acceſſerit. Sine hac, quidquid ars conetur, perfecta *Suppuratio*, raro vel nunquam obtinetur. Tunc Suppuratoriis calidiſſimis, & penetrantiſſimis, quam maxime fieri poteſt Actionibus ſpontaneis ſuccurrere oportet (*b*).

In Contuſionibus ſimili fere modo procedendum.

IISDEM fere ſub cautelis Suppuratoria in magnis Contuſionibus, quæ non niſi *Puris* proventu liberantur, admovenda ſunt. Si, nulla ſolutione continui exiſtente, Inflammatio magna, dolor

(b) *Bubones venereos difficile suppurantes escharotico applicato* ex Mercurio sublimato, *brevissimo tempore, in tabum purulentum liquescere experientia docuit. Quin & Scrophulosos tumores pertinaciores* Vitriolo cyprio, *Emplastro admixto, tardius licet, ad* Suppurationem *tamen incitari observatum fuit.*

dolor acutus, pervigiliæ, & alia Symptomata, Suffocationem, ſeu Gangrænam imminere ſignificant; Relaxantia motum, & calorem infringentia indicantur; quorum electio, præparatio, & uſus jam demonſtratæ ſunt.

Riſolventia ſæpe cum Suppurvantibus conjungenda. Haud raro in ejuſmodi caſibus Reſolventia cum Suppurantibus permiſcenda; ne partes vicinæ Inflammatione adfectæ nimium quantum in Suppurationem abeant. Inflammatio etenim hic arcenda, & *Suppuratio* ſimul promovenda eſt. Multa eorum, quæ in ſecunda, & quarta Claſſe propoſita ſunt, una conjuncta, ad utrumque valent. Ex iis hæc vel alia ſimilis Formula conſtitui poteſt, magis minuſque compoſita.

Formulæ.

Recipe *Folior. Parietariæ,*
Artemiſiæ,
Phellandrii,
Abrotani ana Manip. I.
Flor. Liliorum alborum,
Sambuci,
Meliloti,
Trifolii odorati ana Pug. I.
Semin. Fœnugræci Unc. ſemis.
Cumini Drach. II.
Contrita, & cribrata coquantur in *Aqua communi*
Addantur inter coquendum
Farinæ Lini parum ad conſiſtentiam.
Abſoluta coctione
Ol. Rutæ,

 Cha-

Ol. Chamæmeli ana Drachm. VI.
Applicentur ſuper linteum extenſa locis contuſis.

Venæ ſectio utilis ſæpe eſt.

Eandem ob cauſam Venæ Sectio, quæ inter Chirurgica remedia non poteſt non numerari, hic non negligenda.

Ubi motus fere ſuffocatus, calor augendus eſt.

Si vero motus in partibus contuſis fere ſuffocatus ſit, Inflammatio vel calor, ad *Suppurationem* non ſufficiens, incitari debet, calidis dictis Suppuratoriis; quod iiſdem vel ſimilibus, quæ exempli loco antea propoſitæ ſunt, Formulis effici poteſt. *Cortex Peruvianus* ad drachmam dimidiam, omni quadrihorio interne datus, in tali ſtatu *Suppurationem* mirifice adjuvat.

Partes nudæ unguentis tegendæ.

Ubi partes quædam ab externis integumentis denudatæ fuerint; eæ blandiſſimis digerentibus, ut *ſunt Unguenta Digeſtiva* antea recenſita, ſi locus aridus, & Inflammatio magna: Si vero Inflammatio tam parva, ut augeri debeat; Digeſtivis Balſamicis, & aromatica virtute præditis tegendæ, quibus Cataplaſma ex calefacientibus cum fructu ſuperimponitur.

Digeſtiva aerem arcendo Digeſtionem provent.

DIGESTIVORUM uſus in ſoluta unitate externa; ſive recenti, quæ Vulnus dicitur, ſive inveterata, quæ Ulcus vocatur locum habet. Aëris liber acceſſus, qui *Digeſtioni* non minus quam *Suppurationi* obeſt, ſemovendus eſt. Requiritur itaque, ut pars ſoluta talibus contegatur, ſub quorum obtentu *Puris* in Ulcere conformatio abſolvi poteſt. Simplex quodcumque Medicamen-

mentum, hoc ſolum præſtans, & *Digeſtioni* proprietate naturali non reſiſtens, Digeſtivum evadit. Adeps quicunque inſpiſſatus, & alia emplaſtica, ſimplicia ſive compoſita, Emplaſtri, vel Unguenti forma applicata, huic Intentioni ſatisfacere poſſunt.

Hinc intelligitur; *Repetitas ſæpe deligationes, Puriſque deterſiones nimis frequentes, Digeſtioni maximopere obeſſe.* *Corollar.*

Sæpe numero cruſta, vel ſordities in Ulcere nata, vel tenacius adhærens, *Puris* exortum cohibet. Utraque depurationem exigit, quæ obtineri poteſt iis, quæ partes, quibus applicantur, relaxando, connexionem cruſtæ imminuunt, hacque de cauſa in lapſum facilem diſponunt; *Oleoſis* nempe, & *Pinguibus*, *Unguento Althææ*, *Aureo*, *Baſilico* aliiſque. *Cruſta, & ſordities depurari debent Linimentis, Unguentis, cataplaſmatibus.*

Vel Recipe *Butyri inſulſi,* *Formulæ.*
Ol. Liliorum alborum ana Unc. I.
Vitell. Ovi n. I.
Miſceantur, & cum plumaceolis Ulceri applicentur

Recipe Oleum *Olivar.*
Palmæ ana Unc. I.
Ceræ flavæ unc. §.
Liquefiant ſupra ignem, & miſceantur.

Si hæc non ſufficiant Cataplaſma ex Emollientibus, & Relaxantibus, quale ad Intumeſcentiam in *Suppurationis* actu, augendam præſcriptum conſpicitur, applicandum eſt

Vel Recipe *Radic. Liliorum alborum* Unc. I I.

ſym-

Radic. Symphiti majoris Unc. 1.
Folior. Althææ,
Parietariæ ana Manip. ſemis.
Flor. Althææ,
Malvæ ana Manip. ſemis.

Coquantur radices in *Aqua communi* ad teneritudinem. Addantur *folia & flores* contriti, & cribrati, dein

Panis biſcocti triti q. ſ. ad conſiſtentiam
Unguenti Althææ Unc. 1. vel q. p.

Cavendum autem, ne poſt decidentiam cruſtæ, cataplaſma denuo applicetur; quia nimium laxando *Digeſtionem* depravaret.

Nimia laxitas exigit Stimulantia Reſinoſa & Balſamica. Aliquando nimia laxitas cauſa eſt, Ulcus humore aqueo, & tenui madere, non benigno *Pure*. In eo caſu *Reſinoſa*, & *Balſamica*, ſtimulo ſuo contractilitatem & motum in partibus reſtituentia, optima Digeſtiva ſunt; qualia ſub Digeſtivorum titulo propoſita videntur. Hæc vel per ſe & ſola, vel invicem, aut cum aliis ejuſdem virtutis miſta; ut in *Suppurationis* quarta Claſſe recenſita ſunt, applicantur.

Formulæ. Recipe *Terebinthinæ* Unc. 1.
Vitell. Ovi No. 1.
Aloës puræ Drachm. 1.

Mi-

Miſceantur *Terebinthina* cum *vitello ovi* & addatur *Aloë* ſubtiliſſime trita. Cum Plumaceolis ſolutæ unitati imponendum

Recipe *Radic. Ariſtolochiæ rotundæ* Unc. ſemis.
Theriacæ Drachm. ſemis.
Mellis q. ſ. ad conſiſtentiam
Linimenti mollis

Miſceantur

Recipe *Gummi Myrrhæ*
Ammoniaci ana Drach. I.
Terebinthinæ Unc. II.
Vitell. Ovor. N°. II.

Mixtæ Terebinthinæ cum *Vitellis ovorum* addantur Gummi ſubtiliſſime pulverata.

Quandoque major adſtrictio requiritur, & minor motus, vel calor; quin & in multis Idioſyncraſia calida & reſinoſa non admittit; quare Adſtringentia adhibere oportet, ſequentibus modis præparata.

Recipe *Mellis Roſarum* Unc. II. *Adſtringentia Formulæ.*
Tinturæ Myrrhæ Unc. ſemis.

Miſceantur. Applicentur cum Plumaceolis

Recipe *Herbæ Alchimillæ*,
Folior. Quercus ana Manip. I.
Coquantur in aqua comuni ad Unc. VIII.

Plu-

Plumaceola in colaturam intincta applicentur. Partes vicinæ, ſi nimium relaxatæ fuerint, pannis laneis, hoc madefactis, & expreſsis involvantur.

Poteſt quoque ex adſtringentibus Herbis cum *aqua*, vel *Vino rubro* Cataplaſma componi, addito Pane contrito, vel Farina quadam, ut debitæ ſint conſiſtentiæ.

Iiſdem ichoroſa materies in malignis ulceribus corrigi poteſt.

In malignis, imo & cancroſis ulceribus, vel iiſdem, vel majori vi adſtringente præditis, pro tempore ſaltem, *Pus* ex tenui & ichoroſo humore, effingi poteſt, inſpiſſari & benignior utcumque reddi. Præ cæteris *Aqua Calcis* vel ſola, vel cum quibuſdam adſtringentibus permiſta, id perficere valet. Poteſt hæc cum *Tintura Aloës* vel *Myrrhæ* combinari: vel *Muſcus Quercinus*, vel *Roſæ Rubræ*, *Sabinæ folia* vel *Ariſtolochiæ radix* ei incoqui, & colatura forma Fotus, cum linteaminibus, vel ope lintei carpti ea imbuti & expreſſi, Carcinomati exulcerato vel alteri cuicumque inveterato, & inſanabili Ulceri applicari.

Mercurius præcipitatus & aqua divina Fernelii vi adſtrictoria agunt.

Eamdem ob rationem *Mercurius præcipitatus*, *ruber* præcipue, vitriolica qualitate adſtringens ad *Digeſtionem* corrigendam in Ulceribus nimium madentibus, adhibetur. Quin, & *Aqua divina Fernelii* inter *Pus* emendantia ſimilem ob cauſam recenſentur.

Corollar.

Patet ergo; *quando & quibus in caſibus Suppurantia Digeſtionem Ulceris adjuvant; quibus*

bus vero alia, virtute diverſa, requiruntur.

Quandoque Ulcus adeo ſordidum, & partes adeo degeneratæ ſunt, ut eſcharotico tota ſuperficies erodi neceſſe ſit, & ex inveterato recens Ulcus effici; quod butyro antimonii confici poteſt. Eatenus tale Medicamentum non immediate, mediate tamen Digeſtionem inſtaurat. *Eſcarotico ex veteri recens ulcus efformans.*

Eryſipelas, vel Inflammatio in partibus Ulceri vicinis oborta *Digeſtionem* cohibet. Hæc ergo propriis Remediis curanda prius, quam interruptam *Digeſtionem* reſtaurare annitamur. *Ulcerum morbi per accidentes per ſe curandi ſunt.*

ELEN-

ELENCHUS

CAPITUM ET RERUM

CAPUT I.

De Suppuratione & Pus moventibus generatim.

PUris Definitio. Pag. 7
Definitio *Suppurationis*, & *Suppuratorii*. ibid.
Digeſtionis Circumſcriptio. ibid.
Actio *Suppurationis* prius contemplanda, quam de Suppuratoriis agi poteſt. ibid.
Suppuratio eſt actio Corporis ſpontanea. 8
Demonſtratio. ibid.
Suppuratio certis quibuſdam phænomenis ſtipata obſervatur, quæ ut totidem requiſita, ſeu cauſæ efficientes haberi poſſunt. 9
1. Generatio *Puris* ſemper fit in parte vivente. ibid.
2. Nunquam in parte ſana. 10
3. Semper Inflammatio antecedit. ibid.
4. Et quidem determinato quodam gradu. 11
5. Aëris liber acceſſus *Suppurationi* obeſt. ibid.
6. Intumeſcendi libertas ad *Suppurationem* requiritur. 12

In-

Inflammationis in *Suppurationem* tranſeuntis ſigna. ibid.
Suppurationis actio explicata. 13
Puris origo ex Pinguedine in Membrana Celluloſa contenta. 15
Demonſtratio Membrana Celluloſa fovet & concoquit. 16
Quævis *Puris* collectiones in ea contingunt. ibid.
Eadem cum contenta Pinguedine perit & conſumitur. ibid.
Ulterior Demonſtratio, ex Materiæ origine. 18
Ex Albedine, Tenacitate & Pinguitudine. 19
Ponderoſitate. ibid.
Conſumtione Pinguedinis in Ulceribus. 20
Unctuoſis *Puri* Analogum conficientibus. 21
Mutatione Pinguedinis in Febribus acutis. ibid.
Concluſio. ibid.
Adfluentia *Puri* adſimilantur. ibid.
Ex dictis Definitio & Deſcriptio *Suppuratoriorum* datur. 22

CAPUT II.

Quibus modis

PUS MOVENTIA *operentur.*

AD Suppuratoria definienda opus eſt conſiderare ea Symptomata, quorum ope *Suppuratio* perficitur, & Medicamenta eam adjuvantia. 23

Mul-

Multa Symptomata ſunt in quæ Suppuratoria agere poſſunt.
1. Aëris acceſſum arcendo. 26
2. Perſpirationem nimiam cohibendo. 27
3. Partes relaxando. 28
4. Calorem inflammatorium minuendo. ibid.
5. Calorem augendo. 29
Præterea, Motum inteſtinum inferendo. 30
Putredinem inducendo. 31
Digeſtiva multa ſimilibus modis operantur. 32
Præterea Cruſtam in lapſum diſponendo. ibid.
Laxitatem partium corrigendo per Stimulantia, Adſtringentia. ibid.
In Ulceribus malignis per fortiora adſtringentia materies effluens corrigi quoque poteſt. 33

CAPUT III.

Medicamentorum.

PUS MOVENTIUM *Claſses.*

SUppuratoria Medicamenta quænam, quæ & qualia. ibid.
I. Claſſis continet ea, quæ nulla ſpeciali virtute prædita, calorem, & humiditatem in parte conſervant. 34
1. Emplaſtica, frigide ut plurimum applicata. ibid.
2. Simili modo agentia calide imponenda. 35

II. Claſsis Relaxantia comprehendit. 35
1. Vegetabilia mucilaginoſa. ibid.
2. Oleoſa, & Pinguia. 36
III. Claſſis Calorem minuentia ſiſtit. 37
Refrigerantia potentia, & actu agentia. 38
IV. Claſsis Calorem augentia præbet. ibid.
1. Motu inteſtino calefacientia. ibid.
2. Fragranti & aromatica virtute gaudentia. 39
3. Fragranti & volatili aromate prædita. ibid.
4. Minus volatili, ſed penetrante virtute calefacientia. 40
5. Magna acrimonia irritantia. 41
6. Acria & ex acribus calidiſſimis compoſita. ibid.
Singulorum uſus ſingularis eſt vel generalis. ibid.
Digeſtiva, quæ in prima, & ſecunda Claſſe Suppurantium recenſentur, additis ſimilibus. 42
Præterea, 1. Calorem & motum augentia. 43
2. Adſtringentia, Laxitatem corrigentia. ibid.
3. Calefacientia, novum Ulcus Formantia. 44

CAPUT IV.

Medicamentorum.

PUS MOVENTIUM

Uſus in Morbis externis.

Medicamenta Suppuratoria ubi conveniant. 44
Calor & humiditas in parte ſemper conſervanda. 45
1. Emplaſticis & Emplaſticorum more agentibus. ibid.
Emplaſtrum ex pice ſola. ibid.
Cum aliis compoſitum. ibid.
2. Medicamentis involventibus, calide applicatis. 46
Simplicibus ibid.
Compoſitis ibid.
Cataplaſmatis formula optima eſt. ibid.
Ex ſimplici Medicamento huic ſcopo ſatisfacit. ibid.
Intumeſcentia partis Relaxantibus augenda eſt. 47
1. Emplaſtro. ibid.
2. Cataplaſmate emolliente. ibid.
Formulæ ſimplices. 48
Magis compoſitæ. ibid.
Calor quandoque imminuendus. 49
1. Relaxantibus. ibid.

2. Re-

2. Refrigerantibus. 49
3. Mixtis. 50
Formulæ. ibid.
Cautela Neceſſaria. ibid.
Corollarium I. Cur loco *Suppurationis* poſt Refrigerantia ſæpe Gangræna. ibid.
II. Cur induratio poſt eadem. ibid.
Calor ſæpe augendus. ibid.
1. Formulis primæ Claſſis calefacientia poſſunt addi. 51
Formulæ. ibid.
2. Calefacientia ſola applicantur. 52
Simplicia. ibid.
Compoſita. ibid.
3. Acria his quandoque adduntur. 53
Ad finem *Suppurationis* Pinguia & Oleoſa aliis ſemper adjungenda. ibid.
In glandulofis Obſtructionibus, Suppurantia prius non conveniunt quam Inflammatio acceſſerit. 54
Quomodo, & qualia Suppuratoria in contuſionibus adhibenda. ibid.
1. Reſolventia cum Suppurantibus conjungenda. 55
2. Venæ Sectio utilis eſt. 56
3. Ubi motus fere ſuffocatus, calor augendus eſt. ibid.
4. *Corticis Peruviani* uſus internus tunc conducit. ibid.
5. Partes denudatæ quibus obtegendæ.
Digeſtiva. ibid.

1. Aërem arcendo *Digeſtionem* promovent. 56
Corollar. Repetitæ nimis deligationes nocent. 57
2. Cruſta vel Sordities ſeparari debet. ibid.
Lenimentis, Unguentis, Cataplaſmatibus. ibid.
Formulæ. ibid.
3. Nimia partium laxitas exigit Reſinoſa, & Balſamica ſtimulantia. 58
Formulæ. ibid.
Adſtringentia. 59
Formulæ. ibid.
4. In malignis Ulceribus iiſdem, vel ſimilibus ichoroſa Materies corrigi poteſt. 60
Mercurius præcipitatus ruber & Aqua Divina Fernelii huc pertinent. ibid.
Corollar. Quando *Digeſtio* Suppurantibus adjuvatur, quando aliis. ibid.
5. Eſcharotica ex vetere recens Ulcus efformant. 61
6. Eryſipelas, vel Inflammatio, *Digeſtionem* cohibens, propriis remediis curanda. ibid.

MOR-

MORBI

Non ſatis deſcripti hactenus

BREVIS DELINEATIO.

LOtii e Veſica excretio moleſta, multis ſtipata Symptomatibus ſæpe occurrit. Morbus totalem quandoque, per aliquod tempus, urinæ Suppreſſionem efficit cum perpetua ad mingendum incitatione, dolore ardentiſſimo & vix tolerabili; ita ut viceſies vel & plures, ſæpenumero naturæ ad excernendum conatibus, fruſtaneis licet, una hora, obedire cogatur Ægrotus; donec tandem, magna cum vi, Muci, vel Pituitæ viſcoſæ copia quadam, ex Urethra prorumpente, Urinæ pars in Veſica contenta, ſecuta fuerit. Brevi dein tempore, aliquando citius, quandoque etiam majori cum intervallo, Suppreſſio redit, vel Urina tantum guttatim exit. Et quod emittitur Lotium crudum eſt, fætet ut plurimum, & licet homogeneus liquor primo adſpectu videatur, ſimulac frigefactus fuerit, ad fundum matulæ vel Vitri uroſcopi, Pituitam magna copia deponit, viſcidam valde, & fundo vaſis, effuſa Urina, tenaciter adhærentem. Aliquando hicce Mucus in Ramenta, vel Fragmenta diviſus, Pituitæ craſſæ ex naribus excuſſæ, vel Sputis tenacibus

Morbi Circumſcriptio.

exſcreando, ex aſpera Arteria ejectis, non diſſimilis eſt. Quandoque etiam ſtriæ ſanguinolentæ ipſi ſunt intermixtæ; imo quidem merus Sanguis, poſt eum, ſimul cum Urina exit. In quibuſdam etiam frequens dolor ad Lumbos ſe extendit, unde Ægri Nephritide laborare dicuntur. Miſerrimi hi cruciatus, aliquando per annos durant, pro tempore intermittentes, ſed poſtea, non minori cum vehementia redeuntes, Ægrotos debiles, & emaciatos reddunt. Etſi Morbus non plane intermittat, eſt tamen modo remiſsior, modo acerbior; imo &, raro licet, Muci prædicti ingentes excretiones per annos, ſine magno dolore Ægrum toleraſſe novi. Urina etiam intermiſſionis tempore, utplurimum aliquid Muci, plus minus viſcoſi, intermixtum habet; & ſæpe fætet, præcipue inſtante Paroxyſmo Suppreſſionis, vel Stranguriæ, eoque magis, quo minus libere evacuari poteſt; remanente tunc ſemper quantitate aliqua, mora putredinem contrahente. Morbus homines invadit a calculo liberos, Senes frequentius, rarius juvenes vel qui mediæ ſunt ætatis.

Ab Autoribus nullis rite deſcriptus.

STRANGURIÆ, vel Dyſuriæ hæc ſpecies, qua talis, nullibi, quantum mihi licuit, ab Autoribus rite deſcripta invenitur. A quibuſdam, in tranſitu, aliqua ejus mentio injicitur, cum obſervata quandoque fuerit. Ab his ad Nephritidem calculoſam, ab aliis ad pituitoſam, ab aliis ad Stranguriam ex cauſa incognita, vel

qua-

quadam inepte ſuppoſita refertur. Apud SCHENKIUM hiſtoria extat de Milite, qui conqueſtus de Urinæ contentione, ebibita Minerali Aqua, Membranulas minxit quamplurimas, nerveas ſubductu difficiles (*a*). Veroſimiliter Lamellas Muci conglutinati, qui ad matulæ fundum ſubſidens Membranam ſimulat. Idem caſum citat cujuſdam Monachi, qui tantum Pituitæ lentæ in matula ſimul concretæ, ſæpe oſtendit, ut ovum Anſeris magnitudine ſuperaret, & tamen calculo non laborabat (*b*). Concionator Pituitæ quamdam materiam, adeo viſcoſam, & longam, ut Inteſtinum quoddam videretur, per Veſicæ canalem reddidit, antea multis doloribus excruciatus (*c*). Qui ad veram Morbi noſtri hiſtoriam magis accedit, ſequens caſus apud eumdem Autorem occurrit: incredibilis nempe excretionis Pituitæ lentæ & corruptæ per plures menſes, ubi additur. „ Malum hoc modo „ remiſſior fuit, modo acerbius, modo ſtillicidium, mictus exiguus, & frequens, modo „ Urina largior; remittebat, tum acerbius redibat, Urina modo mordax, modo contra " In BONETI Sepulchreto ſequens caſus legitur. „ Vir illuſtris poſt melancholicas perturbationes, variis affectibus præternatura- *Nec ab Obſervatoribus.*

 „ li-

(a) *Obſervation. med. pag.* 504.
(b) *Ibid.*
(c) *Ibid.*

„ libus tentatur : denique Lotia prius craſſiora „ cœperunt reddi , deinde viſcida materia re- „ ferta , adeo fundo matulæ hæreſcente , ut „ vix diligenti ſtudio extergi poſſe videretur ; „ interdum cum dolore in Veſcicæ collo, cruo- „ re & Sanguine grumoſo permiſta pro- „ deunt (d) “. De Octogenario dicitur: Urinas ſemper profudit Copioſæ Pituitæ Viſcidæ immixtas, ad Libram circiter, tenaciter adeo hærentes fundo matulæ, ut & ea inverſa, effuſa Urina, ab illius fundo penderet: cum tamen nullæ unquam de calculo querelæ, toto decem annorum ſpatio, & quod excedit, ſed incolumis vixit (e).

Neque a Syſtematicis. Ut apud Obſervatores, ita etiam apud Syſtematicos Scriptores, non niſi obſcura, imperfecta & manca invenitur hujus Morbi adumbratio, quorum hi inter Nephriticos affectus, alii inter Dyſuriæ vel Stranguriæ Deſcriptiones, aliqualem de Symptomatibus hujus mentionem injiciunt, & propter differentiam ab utriſque ambigui hærent ad quamnam Claſſem referri debeat. RIVERIUS Morbum vidit, Pituitam deſcripſit, ejus tamen ideam nullam dedit „ Materia Mucilaginoſa, inquit, e ve- „ ſica prodeuns, in eo diſtinguitur ab illa, „ quæ ex aliis partibus procedit, quod magis „ te-

(d) *Tom. II. pag.* 692.
(e) *ibid. pag.* 695.

„ tenax, & glutinoſa ſit, ita ut fundo matu-
„ læ, vel vitri uroſcopi tenaciter adhæreat, nec poſt Urinæ effuſionem, vehementi concuſſione, excuti valeat (*f*) „ Inter doloris Nephritici cauſas Pituita Craſſior a SENNERTO recenſetur (*g*). De Stranguria agens dicit „ Eſt
„ Stranguria Teneſmo ſimilis; & ſicut magnus & continuus in Teneſmo excercendi
„ conatus eſt, parum tamen per Alvum excernitur; ita in Stranguria facultas expultrix veſicæ ad crebram mictionem ſtimulatur; non tamen multa Urina, ſed guttatim
„ excernitur, & procul dubio ut in Teneſmo
„ Sphincter Ani adficitur, ita etiam in Stranguria Sphincterem Veſicæ affici neceſſe eſt
„ a re aliqua moleſta, eam ſtimulante „. Cauſam hujus Stranguriæ ſtatuit humorem fixe, & pertinaciter Sphincteri Veſicæ adhærentem, & vellicantem, vel Calculum (*h*). Inter Dyſuriæ cauſas adhuc ſequentia habet „ Sæpe etiam materia alba, & lactea quaſi cum Urina copioſe emittitur, & mictionem ardentem excitat, & quidem ſæpe tanta copia excernitur, ut ubi ſubſidet, dimidia pars matulæ repleatur. Et talis Urinæ mictio ſæpe ſatis diu continuatur " Quoſdam eam pro Pure in Re-

(f) *Oper. pag.* 353.
(g) *Pract. Lib. III. P. VII. Sect. I. cap.* 3.
(h) *Loco citato.*

Renibus genito habuiſſe monet: verum, inquit, ſi toti in *Pus* ſolverentur, tanta ejus copia, quanta interdum, per aliquot ſeptimanas, ſingulis diebus, excernitur, non poſſet inde ſuppeditari. A cruditate, & concoctione ventriculi vitiata materiam deducit (*i*) in aliis refellendis non infelix, in veritate adſtruenda claudicans. Sunt & adhuc, inter noſtrates, Medici, qui Mucilaginoſam hanc materiam *Pus* eſſe judicant, ut ipſemet expertus fui. Inter Dyſuriæ cauſas LANGIUS enumerat Pituitam obſtructionem facientem (*k*). Hæcce etiam multorum aliorum Auctorum ſententia eſt. Obſervandum eſt, inquit ETTMULLERUS, in Stranguria & Dyſuria excerni materiam craſſam, mucilaginoſam & pituitoſam, quæ nihil aliud eſt, quam Nutrimentum Veſicæ, aut partium proximarum, quod ex partibus iſtis læſis, ſub forma talis Mucilaginis, una cum Urina excernitur (*l*).

Vel & Recentiſſimis. Nec inter Recentiſſimos accurata vel aliqualis Morbi Deſcriptio invenitur. J. DE GORTER de Nephritide agens in peculiari paragrapho monet, Mucum naturalem, uriniferis viis defendendis deſtinatum, acrem poſſe fieri, & cauſam doloris Nephritici conſtituere, unde in Urina mul-

(i) *Pract. lib.III. p.VIII. Section.II. cap.V. pag.* 594.
(k) *Oper. tom. II. pag.* 57.
(l) *Oper. tom. II. pag.* 672.

multum Sedimenti crudi. Hanc Nephritidis ſpeciem Pituitoſam vocat. Ægrotos Mucilaginem magna copia exonerare dicit, ceterum Morbum non explicat (*m*). In Stranguria autem defectum Muci veſicalis, quacunque cauſa natum ſupponit (*n*). Simile quid tribus verbis annotavit P. SHAW (*o*). Sic etiam Clarus J. OOSTERDYK SCHACHT „ Ut viſcidum Inflammatorium, ita „ & Phlegma frigidum vaſa renalia obſidere „ poteſt naſciturque tum non infrequens Nephri„ tis pituitoſa “. Cognoſcitur „ pergit “, ex „ indiciis Nephritidis in genere, ex abſentia „ Signorum phlogiſticæ & calculoſæ, ex tem„ perie, ex prægreſſis, ex excreta Urina al„ ba, viſcida, tenaci (*p*). Eodem fere modo ac noſtrates multa loquuntur de Nephritide Pituitoſa, plane inſcii qualis Morbus ſit. Inter Iſchuriæ ſpuriæ cauſas mox laudatus Autor recenſet Obſtructionem Ureterum a Pituita (*q*); vere autem Pituitam in cavo Veſicæ hærentem (*r*).

Ex allatis, niſi vehementer fallor, liquet *Concluſio.* evidenter, neque opus erit alias adducere, Morbum

(m) *Gezuiv. Geneesk* §. 307.
(n) §. 329.
(o) *Nieuwe Oefen de Geneesk I. D. pag.* 390.
(p) *Instit. Medic. Pract. pag.* 239.
(q) *Ibid. pag.* 253.
(r) *ibid. pag.* 256.

bum noſtrum *nondum ſatis deſcriptum* inveniri hactenus; Autorum neminem, quantum mihi innotuit, claram & diſtinctam Morbi adumbrationem, qualem in initio hujus delineationis dedimus, propoſuiſſe; aliis eum ad Nephritidem, ad Stranguriam, vel Dyſuriam aliis eum referentibus; multoque minus certam curandi methodum præmonſtraſſe, ut ſtatim patebit.

Morbi Diagnoſis. MORBUS ex deſcriptione data facilis cognitu eſt. A Stranguria, vel Dyſuria vulgari differt longitudine durationis, doloris per ſat longum tempus intermiſſione, Pituitæ copia in Urina ſubſidente. *Teneſmus Veſicæ* non immerito vocari poſſe videtur; cui non diſsimilem eum deſcripſit SENNERTUS, loco antea citato. Re ipſà cum Teneſmo Inteſtini recti, multa communia habet: ut conatus excernendi dolorifici, perpetui fere; Pituitoſæ mucilaginis diuturna excretio, haud raro Strigmentis ſanguineis ſtipata; difficilis curatio, nec niſi ceſſante viſcidi Mucoſi texitu, & alia.

Cauſſæ. CAUSSA proxima eſt interioris Veſicæ tunicæ ſenſilitas præternaturalis, qua ab Urina, licet leviter tantum irritata, ſtatim conatus edit, eam tanquam inimicum quid, excernendi. Oritur talis ſenſilitas, ſimulac Mucilago naturalis, veſicam, in ſtatu ſano ab acritate Urinæ defendens, vitium contraxerit vel nimis facile ab ejus lateribus ſeceſſerit. Notum enim eſt ex Anatomicis, tunicam Veſicæ interiorem mucoſiſsimam eſſe, in qua, licet non ſemper, æque

facile

facile, ut HALLERUS, apparent pori Cryptarum, viſcidum, blandumque gluten fundentium (ſ). Idem de canali urinifero verum eſt. ,, Cum
,, Urina acris ſit, pergit Illuſtris Autor, &
,, ſenſibiliſſima Membrana Urethræ, magnam
,, vim Muci in eum canalem natura congeſſit.
,, Eum præter Veſicæ fontes generant Glandulæ
,, primo duæ conglomeratæ, quarum una u-
,, trimque ſedet in angulo Bulbi Urethræ, &
,, corporis cavernoſi penis, ductumque emittit
,, in Urethram. Deinde tota Urethra plena
,, eſt ſinubus mucoſis cylindricis, in quorum
,, latera cryptæ minimæ Mucum deponere vi-
,, dentur fluidum mitemque (*t*). Mirum itaque non eſt ex his fontibus tantam quantitatem Muci, vel degenerati, vel nimis facile ſecedentis, in Morbo noſtro, quotidie cum Urina emitti; ſimul & ex hujus defectu ſenſilitatem intolerabilem in Veſica, totoque canali urinifero naſci. Deficere neceſſario debet, quia perpetuo ejicitur: & licet cito renaſcatur, etiam denuo ejicitur. Idem erit, ſi a ſtatu mucilaginoſo deflectat, ut, v. g. nimis tenuis, vel alio modo deſtinato uſui ineptus reddatur. In utroque ſtatu nuda relinquitur Veſicæ tunica interior, & Sranguria, hoc eſt Lotii excretio moleſta, & continui in eam conatus oriuntur. Quamprimum enim

(s) *Prim. Lin. Physiolog. pag.* 500.
(t) *Ibid. pag.* 904.

enim minima ſedes Veſicæ denudata fuerit, ut ſuo more, ſignificanter rem expreſſit BOERHAAVIUS, & guttula Lotii ad ſedem acerrime ſentientem delapſa eſt, conatus naſcitur nullo voluntatis imperio reſiſtibilis, & omni nixu reſpirationis inimicam guttulam ejicere Ægrotus cogitur (*u*). Aſt quoniam cum Urina Mucus ſimul excernitur, hinc novæ ſemper prioribus ſimiles moleſtiæ & cum ſperato levamine nova dolorum cauſa oritur. Vel, ſi quandoque Mucus ante collum Veſicæ, vel in Utethra impactus hæreat, obſtructionem faciet, & totalis Urinæ Suppreſsio ſequitur, irritique ſunt conatus vix tolerabiles, donec peregrinum id, & inimicum nunc expulſum fuerit. Veſicæ it[illegible]æ præternaturalis ſenſilitas Muci defectum pro cauſa agnoſcit; ſive is præternaturalis ſit conſiſtentiæ, aquoſæ nimium & crudæ, vel quacumque cauſa nimis facile abſcedat. Quale vero vitium peculiariter in eo ſit, non ita facile dicitur. Tenuem & aquoſum fieri poſſe, & ſic deſtinato muneri obeundo ineptum, facile percipitur ex ejus mutabilitate, aliis locis magis manifeſta. Pituitæ viſcidæ loco, in Coryza aqua pura frequentiſsime ex Naribus ſtillat, aut per Pulmones, Tuſſi ejicitur, Inteſtinorum Mucus, in Alvi fluxu aquoſus prodit (*v*). Hacce conditione

(u) *Prælection. Tom. III. pag.* 270 271.
(v) *Hall.* Elem. Phyſiolog. Tom. II. pag. 372.

ne in veſicali Muco præſente, facilis ſimul erit ejus ſeceſſio, & cum Urina emiſſio. Celeris Muci renaſcentia Morbi diuturnitatem explicat; quæ a Phlegmate præternaturali frigido explicari nequaquam poteſt.

Cauſa remota non æque perſpicua eſt. Immodica Veſicæ repletio, & repreſſione Lotii voluntaria, ultra ſtatum naturalem extenſio, atoniam non ſolum fibrarum muſcularium, ſed & laxitatem totius fabricæ organicæ producere valet: unde etiam partes ſecernendo Muco accommodatæ, haud parum a ſtatu naturali aberrabunt, & ſecretæ materiæ conſiſtentia eadem ratione degenerabit, & debito loco minus retinebitur. Hancce vel ſimilem cauſam, ex nimia Vini, ſpirituoſorumque ingurgitatione, Morbum noſtrum produxiſſe experientia commonſtravit.

Prognoſin quod attinet; Morbus quidem moleſtiſſimus eſt, non tamen, per ſe, in eadem ratione periculoſus. Difficilis eſt curationis, ſi inveteratus ſit, in principio ſæpe ſanabilis. Sublatus licet, ſæpe Recidivam facit. Quo minor Muci copia, quoque ſpiſsior cum Urina prodit, eo Morbus ſanationi proprior. Urethra obſtructa totalem Urinæ ſuppreſsionem aliquando producit, & funeſtum eventum prænunciat. Veſica continenter nuda relicta eroditur nonnunquam; Urina inter hanc & integumenta externa effluit; omne quod hic loci celluloſum eſt, repletur; tumor oritur, ab Urina magis magisque effuſa increſcens, uſquedum, vel putredine oborta, *Prognoſis*.

cutis

cutis rumpatur, vel propter dolorem aliaque Symptomata cultello chirurgico tranſcindatur, Lotioque hic alieno loco congeſto exitûs foras concilietur: unde Fiſtula in Perinæo difficulter ſanabilis. Aliquando autem torminibus tantum non intolerabilibus diu vexantibus & continuo perſeverantibus vigor & vita ſimul pereunt, & Morbo finem imponunt.

Curatio. CURATIONIS methodus ab Autoribus, qui aliqualem de hoc Morbo mentionem fecerunt, ſcopo non ſatisfacit. *Sennertus* qui Pituitam a cruditate & vitiata concoctione Ventriculi deducit, Curationem huic vitio convenientem opponit: Sed Stomachica remedia, hic parum vel nihil efficere poſſe, nemo non videt. *Langius* Dyſuriam ex Pituita obſtructionem faciente, curare vult per Aperientia, Reſolventia & Diuretica. *de Gorter* Pituitam reſolventia & Diuretica commendat. *Ooſterdyk*, „ Si in ulla „ Nephritide, in hac certe " (Pituitoſa ipſi dicta) „ paulo acriora conveniunt Diuretica, „ Alcalina, Cathartica mercurialia, Motus „ corporis mechanicus, Frictio ". Hæcce & ſimilia Morbum augere & exaſperare experientia docuit, Mictionem cruentam, aliaque funeſta ſymptomata inducentia.

Indicationis duæ. Duæ in primis ſunt indicationes, quibus curationis opus abſolvitur 1. Muci naturalis in Veſica, & viis uriniferis defectum ſupplere glutinoſis, & mucilaginoſis blandis magna copia ingeſtis. 2. Muci degeneratam naturam, vel vi-

vitiatam ſecretionem reſtituere, vel facilem a Veſica lapſum impedire.

Muci naturalis defectum ſupplent Olea expreſſa blanda, *Amygdalarum*, *Olivarum*, *Raparum*; Mucilaginoſa ex Gummoſis in aqua ſolutis ut *Gummi Tragacantha*, *Arabico*; Herbis, & radicibus, quæ in aqua coctæ eam Mucaginoſam reddunt, ut ſunt *Malva*, *Althæa*, *Symphitum*. Conducunt etiam eamdem ob cauſam *Semina Pſyllii*, *Cydoniorum*, quæ in aqua macerata gluten deponunt; & farinoſa, ut *Cucumeris*, *Melonum*, *Papaveris albi* cum aqua emulſa. Hæcce tamen & quæ ſimilia ſunt, etſi larga doſi propinata, raro optatum exhibent eventum; Urinæ quidem acrimoniam ejuſque vellicationem minuere valent, ſed forma Mucaginis aut glutinis naturalibus Veſicæ lateribus, vel Urethræ ſeſe non applicant, neque ipſi plane ſimilia ſunt, vel arte effingi poſſunt. *Indicatio prima.*

Ad ſecundam itaque indicationem, nos convertere oportet. Muci nimis facilis ſeceſſio omni conatu averti oportet. Muci degenerati naturam, vel vitioſam ejus ſecretionem in integrum reſtituere, non eſt res facilis negotii. Ut cujuſvis ſecretionis humorum in corpore humano accurata Deſcriptio inter deſiderata hactenus enumeratur, ita & hujus Mucaginoſi in variis partibus occurrentis, ſed in pleriſque variæ naturæ, nullo modo perſcrutabilis eſt. Vero tamen non plane diſſimile videtur, nimiam *Indicatio ſecunda.*

miam aquoſarum, nimis parcam oleoſarum partium admixtionem, ejus cum urina combinationem facilem reddere, & cum Veſica minus cohærentem. Mucoſos humores nimis aquoſos effluere in Coryza videmus, ſpiſſiores vero factos cum tenacitate adhærere. Qui oculum humectant, mora in lemas indureſcunt. Simile quid in Aurium cerumine locum habet. Quies in Lacunis, officinis ejuſmodi humorum naturalibus, aquoſioris partis reſorptum, reliquarum validiorem attractionem, ad ſe mutuo promovere poſſe videtur. Tarditatem, tam in Secretione, quam Excretione potius quam accelerationem procurandam eſſe, ad conquirendam, quam uſus requirit, conſiſtentiam obſervationes evidenter docent. Cryptæ nimium relaxatæ Mucum nimis cito elabi patiuntur, debitam ſpiſſitudinem nondum conſecutum. Roborantia ſine calore vel acritate, & Adſtringentia id unice efficere poſſe videntur. Analogia curationis in Leucorrhæa mulierum, ut *Helvetii* aluminoſo pulvere; talia ſuadere videntur, quæ experientia confirmata ſunt. Hiſce Veſicæ partibus conſtituentibus majori cum efficacia ad invicem adductis, etiam Lacunæ Mucoſæ conſtringentur magis; Mucoſa materies retenta diutius, & reſorptione aquoſis partibus orbata, cum Membranis Veſicæ, & viarum uriniferarum cohærebit magis, ſenſibilitatem harum partium imminuet, & ſtimulum ad excernendum antea fere perpetuum refrenabit. Adſtringentia

in

in ore detenta os ſiccum reddunt. Aluminis fruſtulum, v. g. in ore detentum uſque dum liqueſcat, non tantum oris, ſed & Aſperæ Arteriæ Mucum ſpiſsiorem reddit, imo & ſputa cæterum ad exſcreationem prona ſupprimit, ſaltem exſcreationem difficiliorem facit. Talia itaque ingeſta, etiam remotioribus partibus, eandem vim imprimunt. Adſtringentia ergo, & quidem valentiora, Acido auſtera inprimis, hic unice conveniunt. Cujuſmodi ſunt *Radix Tormentillæ*, *Cortex Tamariſci*, *Peruvianus* & ſimilia, præcipue ſi Decocto ex hiſce præparato ad finem coctionis addatur modica quantitas *Succi Catechu* & *Aluminis*: imo & Potio ex hiſce duobus ultimis, cum aqua; ſcopo ſatisfacere poteſt. *Tinctura Corticis Peruviani*, ad unciam unam, cum *Tincturæ Cinnamomi* uncia dimidia & *Spiritus Vitrioli* Drachmis duabus, ad viginti quinque vel triginta guttas, ex aqua communi, ter quaterve de die propinata exoptatum dedit effectum; Caſum propoſui (x). Ea forte de cauſa *Spiritus Salis Marini* ad Iſchuriam & Dyſuriam ſenilem, præeunte *Helmontio*, laudatur (y). Sæpe etiam conducit, *Opiata* vel *Opium* ipſum hiſce adjungere vel iis interponere; ut ſopito ſubito dolore & con-

(x) Act. Physico Med. Naturæ Curioſor. Vol. X. pag. 153.

(y) *Boerh.* Elem. Chem. Vol.II. pag. 410. *Schulz* Prælect. de Viribus Medicament. pag. 332.

tinua ad mingendum irritatione, quo Mucus ſemper abraditur & exit, ipſe intus remaneat, ſicque Ægroto lenimen doloris & Morbo reſtituendo ſimul occaſio concilietur. Hujuſmodi Remediis pertinaciſſimum hunc & inveteratum Morbum, *Teneſmum Veſicæ* ſuperavi. Diureticis validioribus tractatum, inſanabilem, imo lethalem factum vidi. Antequam vero in dictam methodum meditando inciderim, Morbum omnia reſpuentem vidi, eumque, cum aliis experientiſſimis Medicis, quibuſcum converſatus fui, nulla arte curabilem credidi.

Diæta moderata ſit oportet, etiam in intermiſſione Symptomatum. Exceſſus in motu & exercitiis vitandus. Vinoſa, Spirituoſa, Aromatica & Urinam pellentia noxia ſunt; ut & nimius aquæ calidæ uſus.

FINIS.

IN-